

245.38

10  
11

24538

nº 251

num. ff. cap. 2 num. 43.





CONTROVER-  
SIA DE NECESSARIA  
RESIDENTIA PERSONALI EPIS-  
coporū & aliorum inferiorū Pastorum, Tridenti  
explicata per fratrem Bartholomēum Car-  
ranza de Miranda instituti beati Do-  
minici Hispaniæ Prouincialem.

1a  
24538



SALMANTICAE.

*Excudebat Andreas de Portonarijs.*

M. D. L.



UNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA  
GRADOS USAL.ES

ILLVSTRI AC RE-  
VERENDISS. IN CHRISTO PA-  
tri ac D. Domino Francisco de Navarra, Epi-  
scopo Ecclesiae Pacensis. F. Bartholomeus  
Carranza de Miranda, Christi gra-  
tiam, et perpetuam in Do-  
mino felicitatem.



N C I D I M V S , pater in  
Christo mibi obseruandissi-  
me: in tempora calamitosissi-  
ma. Peruenere res in eum lo-  
cum, quem nec mali homines  
suis cupiditatib⁹ sperare sunt  
ausi, nec boni timuerūt posse  
fieri, vt ad hanc perfidiam de-  
uenirent. Nutat res Christiana, laborat sua potentia  
imperium sacerdotale, dormiūt interim, quibus subue-  
niendi imperium datum est. Plebs nōdum sua rescinit  
mala, more hominum, qui postremi, si quid domi tur-  
batum est, intelligunt, qui verò medium obtinet locū,  
rem videntur tractare alienam, et dum priuatis cō-  
modis student, communia contemnunt, aut si non con-  
temnunt, se se incendio subtrahunt, quod nolunt, etiam  
si possent, sua ruina extinguere: ruinam vocantes exi-  
stimationem et opinionem popularem: et si quid ar-  
genti repositum habent, nequid interim pereat, omnes  
missitamus,

missitamus, in aurem loquimur, et nutibus tantum  
significamus, quæ in rem Christianam erat, in culmi-  
nibus tectorum et in plateis prædicari, et stentoreo  
clamore omnium auribus obtrudi. Quod si roges, vn-  
de putem datam hanc stragem in Christi ouibus: non  
aliunde (teste conscientia mea) dicere possem, quā ex  
socordia et negligentia hominū tui ordinis, oues cō-  
missas prædam arbitrantur, et semel tradito episcopa-  
tu, quasi re benē gesta, in utramq; dormiunt aurem,  
aut in hac parte securi, aliam prædā maiorem ambiūt.  
Gaude, pater optime, quod te ista nō tangunt, legerat  
te Cæsar inter eos, penes quos summa fidei vertitur in  
Hispania: curasti pro utilitate ouium tuarum vincula  
illa abrumpere: accitus deinde ad hoc concilium, ma-  
turasti ne in mora esses, si quam opem labati Ecclesiae  
pro tua virili ferre posses. Præfecerat iam te Cæsar  
anno proximo elapso conuentui Illiberritano, quem  
Granatensem vocant, vt eius illic partes ageres præfe-  
ctus prætorio: sapienter quidem ille, qui tuam fidem,  
industriam, et prudentiam perspectam habet: sed tu  
noluisti tibi deesse in tanto rerum cardine. Vidisti nō  
posse te Christi vicarium agere et Cæsar, hoc est, vt  
et oues pasceres spirituali victu, et leoni rugiēti in-  
terdum occurres, et scabiem depelleres, et reiculas  
semoueres, et simultotus es in litibus occupatus, in-  
uigilans rubricis Iustiniani, utilibus quidem illis, sed  
tamen humanis, et ab aliis hominibus tractandis.  
Quid episcopo cum stillicidii et aqua pluvia, qui è

A 2 lapide



lapide Christo viuam aquam & salientem in vitam  
eternam elicere debet suo gregi? Vidisti, inquam, quā  
præposterum erat, pastorem spirituum & patrem ani-  
marum sedere iudicem causarum ciuilium, doctorem  
illius philosophiae cœlestis iugiter diu noctuq; impedi-  
ri in administrandis legibus imperatorū (immittat  
Christus hanc mentem Cæsari & aliis principibus  
Christianis, vt velint excludere & arcere à suis aulis  
prætoris, & tribunalibus ecclesiasticos ministros, &  
tractent fabrilia fabri) Deniq; excusasti te, gratias  
interim agens, quod te tāto muneri parem putasset: ni-  
mirum sciebas quā Christianum haberes Imperatore,  
nec dubitabas futurum id, quod postea res indicauit:  
quin Cæsar hac de re plus te esset amaturus: recepit  
excusationem tuam, & te, qua est pietate, laudauit in  
frequenti magnatum corona. Oneros sat scio pudorem  
tuum, sed patere me in hæc diuertere tam rara exempla  
nostræ tempestatis: quæ tamen si olim audita fuissent,  
nullo futura erant in pretio. Quis enim ex illis sanctis  
simis patribus episcopū laudaturus erat, qui monstrū  
non faceret? An non meminissent quid Christus Iesus  
dominus noster in huiusmodi negotio fecisset, cū fra-  
tres de familia herciscūda repellit. Quis, inquit, homo  
me constituit iudicem aut diuisorē supra vos? An non  
credis cūm hæc dixerit, seipsum digito demonstrasse?  
ac si diceret, me vos de his nugis iudicē facitis, me, in-  
quam, quem pater misit mundi saluatorem? me, qui ve-  
ni querere & saluum facere quod perierat? me parti-  
torem

torem cœlestium bonorum? me, inquam, dispensatore  
bonorum spiritualium & æternorum, petitis diuisorē  
bonorum temporalium & carnalium? Nunc, pater opti-  
me, adeò mores pessum ierunt, vt episcopos simus lau-  
daturi, quod non aperte grassentur. O tempora, o mo-  
res: ego, vt ingenuè fatear, nullam salutem moribundis  
Ecclesiæ negotiis spero. Illud tantū superesse arbitror,  
vt lachrymis à Christo contendamus, ne oues, sanguine  
eius redemptas, culpa pastorum periire patiatur, &  
Iosaphat regem Iudeæ emulantes, dicamus Domino.  
Cūm ignoremus quid agere debeamus, hoc solū habemus residui, vt oculos nostros dirigam⁹ ad te. Quo-  
niam & nunc contra Christi Ecclesiam ascendunt ar-  
mati filii Moab & Amon, sicut & tunc contra Iudam  
& Hierusalem. Ridebant nostri aduersarii mores &  
abusus haec tenus, nec immerito quidem: ridebant etiā  
nostram doctrinā, sed falso: nec ullis cauillis aliquid  
potuerunt obtainere, non labem, non rugam ostendere:  
nunc verò (quod præ dolore scribere vix possum) ve-  
reor vt Sathan, nec hanc partem reliquā nobis faciat:  
nisi nos ipsoſ ſuſſim ſeius validissimo ariet. Opa-  
ter, non ſatis erat periclitari in moribus, & in ea par-  
te ma!è audire, niſi periclitemur etiam in doctrina?  
Exoriuntur enim (vt audio) nonnulli, qui nunc tan-  
dem in dubium recuocant, unde Episcopi originem du-  
cant, iure diuino an humano fuerint constituti. Tum  
etiam an tencantur præſentes Episcopi ſuas oues paſce-  
re: an verò ſatis ſit mercenarium pastorem gregi præ-  
ficere,



ficere, ut ipsi à cura soluti, alias res agant, hoc est, ut alter nomine quidem sit Episcopus, et ob hoc uestigie deat, ne dicam deglubat: alter conductius pastoris obeat munus. Nouæ sunt doctrinae, nec dubito, quin illarum, quas Paulus dæmoniorum vocat. Rogas, pater optime et in Christo mihi charissime, quid de huiusmodi controversia sentiam, scio te nihil addubitare: ut qui diu in lege Domini sis versatus, in qua (ut optimè nosti) si abundat pius affectus, adegit et rectus intellectus: operando enim discimus: et quod magis in operibus promouemus, eò magis in nobis cognitio diuinæ legis viget. Legisti non semel illud Davidis. Intellectus, inquit, bonus omnibus facientibus manda ta Dei. Faciā tanç quod iubes, vel ob hoc solum quod iubes. Aperiam itaq; animum meum in re aliqui adeò clara, ut mihi videantur aduersus solem etiam loquunturi (ut vetus verbum est) qui hic dubitant, nedum qui in illam inclinant partem, quæ tibi stomachū mouet. Sed iam ad cōtrouersiā accedo, ne præludia ipsum opus superent. Vale in Christo perpetuo fælix Pater obseruandissime. Tridenti in festis Mathiae Apostoli.

Anni. M. D. XLVII.

## ARGUMENTA OMNIVM CAPITVLORVM SEQVENTIS controversiæ de residentia Pastorum Ec- clesiæ in compendium redacta.

### Caput Primum.

Declaratur quibus generibus argumentorum examinanda sit præsens controversia de residentia personali Pastorum Ecclesiasticorum.

### Caput Secundum.

Explicatur et demonstratur per duo axiomata totus status præsentis controversiæ de residentia.

### Caput tertium.

Quinq; testimonii veteris testamenti probatur necessaria residentia personalis ministrorum Ecclesiæ, ex libro Num. cap. 18. ex libro Prover. cap. 27. ex Ezechiele Prophetæ cap. 34. ex Zacharia cap. II. Postremò ex libro Nume. cap. 27. et Esa. 40.

### Caput Quartum.

Testimonii tribus euangelicis, et uno ex actis apostolicis, probatur residentiam personalem episcoporum esse de iure diuino. Ex Matthæo cap. 10. ex Ioan. eodem cap. Deinde ex eodem Ioan. cap. 21. Ex actis Apostolicis cap. 20.

### Caput Quintum.

Quinq; testimonii apostolicis ostenditur de iure naturali et diuino, esse necessariam personalem residentiam ministrorum Ecclesiasticorum ex prima ad Corin. cap. 9. ex prima ad Thessaloni. cap. 5. ex

A 4 prima



prima ad Timotheum. cap. 3. ex secunda ad eundem cap. 4. ex prima Petri cap. 5.

Caput Sextum.

Explicatur noīa episcoporū secundū usum diuinarum literarum. Nam & hac scripturæ diuinae partem esse videtur, quæ, ut à spiritu sapientia indita, semper consonare debent rebus ipsis.

Caput Septimum.

Legibus conciliarū generaliū & prouincialiū, cōprobatur Pastorum Ecclesiæ residentia necessaria.

Caput Octauum.

Summorū Pontificū decretis & doctrina episcoporū, personalis residentia necessaria conuincitur.

Caput Nonum.

Sanctorū Patrum & Doctorū Ecclesiæ doctrina, residentia episcoporum demonstratur necessaria.

Caput Decimum.

Compendio recensetur & explicatur sententia Cardinalis Caietani circa presens argumentum, cum firmioribus eiusdem rationibus.

Caput Undecimum.

Argumentis humanis manifestatur vera, quæ per fidē scripturarum & Patrum Ecclesiæ, docuimus de residentia Pastorum ecclesiasticorum.

Caput duodecimum.

Examinatur, an sint aliqua, quæ possint excusare episcopum à perpetua residentia, & soluuntur rationes aduersariorum.

CON-

CONTROVERSI<sup>A</sup>  
de residentia ministrorum Ecclesiæ.

CAPVT. PRIMVM.

DECLARATVR QVIBVS GENERIBUS argumentorum examinanda sit presens controversia.



N SACRIS DISciplinis multiplex est locus arguendi. Vnus est ex sacrarū scripturarū testimonio, & hinc est firmissimus locus argumētandi. Alter est ex sacrorum cōciliorum generalium, vel prouincialium traditione. Tertius est ex sanctorum, & veterum patrum Ecclesiæ sententia. Iſti omnes sunt propriè loci theologici, quibus omnibus contendā demonstrare, vniuersos ministros Ecclesiasticos ex iure naturali, & diuino teneri ad residentiā personalem in Ecclesijs, à quibus temporalia stipendia desumunt. Postremò, addemus & rationes humanas, qui locus arguendi nō est alienus ab hac disciplina, sed ne diu vagemur. Primū osten-

A 5 damus,



damus, vnde vim habeant quæ nobis præcipiuntur, & an pastores spirituales dignitate tantū nobis præsint & imperio, an etiā munere & officio. Magna quidē res est residenzia pastoralis & grata omnibus esse debet & iucunda certè populo Christiano, quandoquidē ex ea omnis instaurandæ Ecclesiæ ratio, omnis restituendæ religionis modus leges, instituta, mores, veterem Christianā, veramq; disciplinā reuocādi facultas pendeat atq; proficiscatur: quæ cùm ita sint, & tanti referant, silere non licet, neq; in tanto religionis nostræ discrimine tantoq; animarū communi periculo cuiquam consulere potius, q̄ officio nostro, & publicę vtilitati.

CAP. II. QVO EXPLICATVR PER  
duo axiomata totus status præsentis  
controversia.



ORVM ad quę legibus tenemur, quædam sunt iure diuino prohibita vel præcepta, quæ nullam institutionē habent à iure naturali, vt baptizari aqua & yfus aliorum sacramentorū. Alia vero sunt iure naturali prohibita, quæ nullā nouā institutionem

tionē habent à iure diuino, vt furari, mœchari. &c. Alia autem ab vtroq; iure prohibita sunt, vel præcepta. V.g. reuerenter tractare sacramenta, mundū sumere cœnam Dominicā, ne liceat vendere sacrā vestem, aut prebendam, quia sacra res est. Hæc pendent ab vtroq; iure. Qui in istis offendit, omnia iura violat naturalia & diuina: quoniā hæc habent institutionē à iure diuino (ab eo enim sunt sacramenta & ministeria sacra) si tamē dederis aliquid esse à Deo destinatum ad sacra, aut assumi instrumentum ad sanctificandos homines (quod vocant sacramenta) iura naturalia prohibent illa vendere, aut emere. Nec opus est noua aliqua prohibitione, aut lege diuina. Et eadē iura præcipiūt, vt isthęc reuerenter tractentur. Huius tertij generis sunt, quæ nunc controuertuntur, de residencia ministrorum Ecclesiasticorum.

Futuros esse in Ecclesia Episcopos, & pastores alios inferiores iura diuina instituūt, & Apostoli tradiderunt. Actu. 20. Attendite vniuerso gregi in quo spiritus sanctus vos posuit episcopos ad regendam ecclesiam Dei, & I. Timoth. 3. & Tit. i. Et iura naturalia, & eadem diuina præcipiunt, vt faciant officia sua. Ideo vtriusq; iuris violator est, qui ab illo cessat. Quocirca statuatur. I. cōclusio quā inter



inter orthodoxos indubitata processu operis demonstrabimus.

**1. Cōclu.** Omnes ministri Ecclesiastici præsertim Episcopi, & parochi ex iure naturali & diuino tenentur nō per mercenarios, sed personaliter facere officia sua.

Ex qua colligitur secunda cōclusio æquæ certa.

**2. Cōclu.** Ex vtroq; iure tenetur Episcopi & parochi ad regularem & ordinariam residentiā, siue præsentiam corporalem in suis ecclesijs & dioecesib⁹.

Arbitror non esse diuersa, re, teneri ad vsum officij, & ad residentiam personalem, sed solo nomine esse diuersa. Quoniam ad hoc, nempe personaliter residere, nemo tenetur nisi ppter illud, scilicet, ut faciat officiū suū. Vnde siquid operis est, quod ponit absens Ecclesiæ suę facere, in eo non tenebitur Ecclesiæ adesse, quia cessante causa, cessant & illa, quæ ad eam consequuntur. Quocirca eisdem argumentis ostendemus vtranq; conclusionem.

Ad vtriusq; igitur euidentem demōstrationem statuamus ista ministeria & prælaturas Ecclesiasticas esse à Deo instituta, & ad hoc instituta, nempe ad certas actiones exercendas, ut patet ex Ioan. cùm Christus insti-  
tuebat

tuebat Petrum primum & summū Ecclesiæ pastorem, non dixit ei: Esto Pontifex, sed: pasce, guberna, rege oves meas, gregem meum, certam operationem mandauit, nempe pascere, regere: & Num. 18. cùm in lege institueret dominus sacerdotes: Aaroni & filijs suis tradit primitias pro officio sacerdotali: filijs autem Leui iubet donari omnes decimas pro ministerio, quo seruiunt ei in tabernaculo fœderis: & 1. Timoth. 3. Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, opus dixit, non imperium, non dominationē, nō dignitatem, quanuis sit etiam preclara dignitas: & August. (explicans Paulum) inquit, Augustinus. exponere voluit Apostolus, quid sit episcopus, quia nomen est operis, non honoris. Episcopi sunt superintendentes. &c. Et habetur 8. q. 1. Qui episcopatum. Ergo sua institutione tenentur: ad præscriptam operationem. Et Hierony. ad Oceanum explicans eiusdem Apostoli verba. Siquis episcopatum desiderat. &c. opus, non dignitatem, laborem, non delicias, opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. &c. Idem ad Nepotianum. Episcopi sacerdotes, scient se ministros esse, non dominos. Et infra subdit. Recordemur semper quod Apostolus Petrus præcepit sacerdotibus. Pascite enim



enim qui in vobis est gregem Domini : prouidentes non coacte, sed spontaneè, secundū Domini prēceptum habetur distinc. 95. esto.

**Origenes** Origen. in Esaiam. Hom. 7. Qui vocatur ad episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad seruitutem totius Ecclesie. Si vis credere de scripturis quia in Ecclesia seru⁹ sit omnium, qui praeest, suadeat tibi ipse Saluator & Dominus, qui talis tantusq; factus est in medio discipulorum, nō quasi discumbens, sed quasi ministrans. Accipiens linteū post Bernard⁹ quām exutus est vestimentis. &c. Bernar. ad Eugenium papam epistola. 237. Si Christus te misit, æstimabis tibi, nō ministrari sed ministrare venisse, & ministrare, non solū substantiam, sed ipsam quoq; animam, sicut prēfatus sum. &c. Huc facit canon ille ecclesiasticus. Beneficium datur propter officiū. Omne ergo ministerium ecclesiasticum institutum est ad aliquam actionem, hæc est status nostri tā firma & certa probatio, vt si opus sit, etiam aduersus omnes portas inferorum queat subsistere.

CAP. III. QVO TESTIMONIIS  
veteris testamenti probatur necessaria  
residentia personalis ministrorum Ecclesie.

SED



E D iam ostendamus *primus locus* in principio processus scriimus nos ostensu-  
ros, teneri, scilicet pasto-  
res omni iure ad residē-  
tiam personalem, ac pri-  
mum quid in sacris lite-  
ris inueniamus incipientes ab scripturis ve-  
teris instrumenti.

Postquam Dominus sub Mose cōstitue- *Num. 18.*  
rat ministros tabernaculi sui Aarone & fi-  
lios eius addideratq; eorū coadiutores Leui-  
tas fratres suos, dixit vniuersis. Excubate in  
custodia sanctuarij, & in ministerio altaris,  
ne oriatur indignatio super filios Israel. &c.  
omnia quę sanctificantur à filijs Israel tradi-  
di tibi & filijs suis pro officio sacerdotali le-  
gitima sempiterna, filijs autē Leui dedi om-  
nes decimas Iraelis in possessionem pro mi-  
nisterio quo seruiunt mihi in tabernaculo  
foederis. &c. Hæc Dominus ad Aarone. Omnia  
in figura fiebant apud illos, inquit Pau-  
lus, & tabernaculum illud nostrę Ecclesię fi-  
gura fuit in Aarone & filijs, intellige pa-  
stores maiores, nempe Romanum cum cæteris  
episcopis orbis. In filijs Leui adsumptis à Do-  
mino, vt ministrēt maioribus ministris, nēpe  
Aaroni & filijs suis, intellige inferiores pa-  
stores,



stores, quos olim vetus Ecclesia vicarios, vel coadiutores episcoporum vocabat. Vniuersis igitur dixit Dominus. Excubate in custodia Ecclesiæ meæ, & in ministerio altaris mei, ne oriatur indignatio super populum meū. Non dixit dominus. Ne oriatur indignatio mea super vos dormientes aut ociosos, abalienatos à ministerio altaris mei, sed super populum meum, ostendēs puniturum peccata sacerdotum in populo, non in illis tantum, quoniā populus particeps semper est delictorum ministrorū. Vix caueri potest, vt corrupto sacerdotum collegio, non corrumptatur & populus, iuxta illud. Qualis populus talis sacerdos. Deinde si cessent sacerdotes fungi suo officio, necesse est, indigetur Dominus super Israelem, à quo semper offenditur, & nisi placetur intercessione sacerdotum, fæuitura est ira eius in populū. Modò certum est sacerdotes in curijs Pontificum aut Cæsarum degentes, aut aliàs secularia negocia tractantes, nō posse excubare in custodia Ecclesiæ suæ, nec in ministerio altaris sui occupari. Si ergo id exigebat Dominus à Leuiticis ministris, quid exacturū putas ab Euangelicis? quorum iustitia abundare debet supra iustitiam scribarum, & phariseorum? Meritò timeamus, vt hęc mala, qui-

bus

bus nunc premitur Ecclesia, immiserit Dominus propter cessationem, & ignauiam Pastorum: deinde annota quod cùm assignat Dominus mercedem temporalem suis ministris semper subiungit, hæc tradidi tibi pro officio sacerdotali, & filijs Leui dedi decimas pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo, vnde collige q̄ si cessent ibidē seruire, nō merentur mercedem eis assignatam.

*Secundus locus scripturae. Proverb. cap. 27.*

Secundò, Salomon libro Proverbiorum, inquit. Diligenter cognosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera: non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur tibi in generatione & generationē. Hebræa versio sic habet, cognoscendo cognosces faciem pecoris tui, & pone cor tuum ad greges. Bona pars doctorum Ecclesiæ putat hæc dicta ad ministros ecclesiasticos habentes cū ram aliquam animarū. Quid enim lucidius potuit proponi, vt intelligeremus lege esse prohibitam absentia ministrorū ab ouibus suis? Si nō satis est ministro de nomine tantū agnoscere oves suas, sed oportet (vt videamus ex præcepto Dominico) q̄ de facie etiā vniuersas & singulas agnoscat, quę vix potest facere presens & in suo munere vigilanssimus episcopus, quomodo absens poterit satisfacere huic præcepto spiritus sancti?

B Mini-



Minimè gentiū: quod dixit hīc Salomō spiri-  
tu dei afflat⁹ visa est apertè explicare eterna  
**Ioan. 10.** illa sapiētia Christus Iesus, dicēs: Ego sum pa-  
stor bon⁹, & cognosco oves meas, & cognos-  
cūt me meæ. Et paulo inferius. Et oves vocē  
pastoris audiūt, & sequuntur illū, quia sciūt  
vocē eius, & pastor proprias oves vocat no-  
minatim, & deducit eas, & cū proprias oves  
emiserit ante eas vadit: hēc Christus, hic pa-  
storū princeps et quiuis aliis ver⁹ pastor co-  
gnoscēdo cognoscit faciē pecoris sui, suosq;  
greges cōsiderat. Et quid obsecro est dicere.  
Bon⁹ pastor animā suā ponit p ouibus suis,  
nisi q iuxta Hebrēā versionē hic dicitur. Po-  
ne cor tuū ad greges, quē verba singularem  
quandā curā & insignē sui gregis dilectionē  
**i. Episto-** designant, de qua dilectione Ioannes. In hoc  
**la cap. 3.** cognouimus (inquit) charitatē Dei, quoniā  
ille animā suā pro nobis posuit, & nos debe-  
mus pro fratribus animas ponere. Si pro fra-  
tribus quorum nō est peculiaris cura nobis,  
debemus vniuersi animas ponere, quāto ma-  
gis pastores hoc ipsum facturi sunt pro ani-  
mabus illorū, p quibus reddituri sunt ratio-  
nē dñō in die iudicij? hic nihil exaggeramus,  
sed tantū relinquimus sola verba spūs sancti  
prudēti lectori expendenda, & quid sentien-  
dū sit de hac diuina ordinatiōe ipse iudicet.

Tertiō,

Tertiō, produco ex veteri testamēto Eze- **Tertiō**  
chi. prophetā ad quē sic dicit Dominus. Fili *cus scri-*  
*hoīs propheta de pastoribus Israel, qui pas-* **pturæ.**  
*cebāt semetipsos. Nōnne greges à pastorib⁹ Ezechi.*  
*pascuntur? Lac comedebatis, lanis operieba* **cap. 34.**  
*mini, qd' crassum erat occidebatis, & gregē*  
*meū nō pascebatis. Quod infirmū fuit nō cō*  
*solidastis, quod ægrotū nō sanastis, quod cō*  
*fractum est, nō consolidastis, & quod abie-*  
*ctum est, nō reduxistis, & quod perierat, nō*  
*quæsistis, sed cū austерitate imperabatis eis,*  
*& cū potentia. Et dispersæ sunt oves meę, eo*  
*quòd non esset pastor, & facte sunt in deuo-*  
*rationem omnium bestiarum agri. Erraue-*  
*runt greges mei in cunctis montibus, & in*  
*vniuerso colle excelsō, & super omnem fa-*  
*cī terræ dispersæ sunt, & nō erat, qui requi-*  
*reret. &c. quo loco audi Grego. in Pastora.*  
*parte. i. cap. 6. Abiectū reducitur: cūm quis in*  
*culpa lapsus ad statum iustitiae ex pastoralis*  
*solicitudinis vigore reuocatur, fracturā verò*  
*ligamen astringit, cū culpā disciplina depri-*  
*mit, ne plaga vñq; ad interitū deluat, si hanc*  
*districcionis seueritas non coarctat, sed sāpe*  
*deterius frāgitur, cūm fractura incaute colli-*  
*gatur, ita vt grauius scissurā sentiat, si hāc im*  
*moderatius ligamēta cōstringant: haec tenus*  
**Greg.** Nō video quid explicatius possit dici.

Hic opus est nō argumentatione aliqua, sed attentione sola & fide. Si ad hæc verba atten-damus & credamus, q̄ ex ore domini pro-dierint, & ab spiritu domini proponantur, quis negabit teneri pastores ad perpetuam residentiam in suis Ecclesijs? Si hæc requiren-da sunt à pastoribus, si ea cura, ea solicitude, vt quod ægrotum est in animabus fidelium contendant sanare, quod confractum est, al-ligare, quod abiectum est, reducere, & quod perierit ex numero fidelium, reuocare, vide-rint illi, si hæc absentes & ignorantes ouium suarum, quas absentes cognoscere minimè potuerunt, p̄stare poterunt. Quòd si pos-sunt, dicant se nullo iure obligari, vt inter oues suas sint frequentes, & familiariter con-uersentur. Quod si non possunt (vt verū est) relinquant aulas, & v̄eniant ad caulas ouiū suarum, & curam earum agant. Obserua le-ctor verba illa Domini. Dispersæ sunt oues meæ, & factæ sunt in deuorationem bestia-rum agri, eo quòd nō sit pastor. Quid est di-ctu non esse pastorem aliquem in Israel? Si nullus erat pastor, quid est, quòd Dominus dicit ad prophetam. Fili hominis propheta de pastoribus Israel. Et propheta clamat. V̄e pastoribus Israel, & si veri pastores erant in Israel quid dicit, eo quòd nō sit pastor? Cer-tum

tum est dixisse dominum, non esse pastores in Israel, quia perinde est, absentes esse pa-stores, aut ociosos, nec exercētes officia sua, quòd non esse pastores. Quid enim confert esse pastorem, si nihil agat? Huic veritati p̄texunt aliqui, & causantur, quòd sint iustò occupati in negotijs & officijs publicis, quo ruim recta & bona administratio est Ecclesiæ maximè necessaria, & ideo per viros probos & doctos exercenda. Hac excusatione puto grauari magis peccatum eorū, quoniam sti-pendijs ecclesiasticis obeunt prophana mu-nera. Sed & quanuis necesse sit, publica illa officia per tales viros administrari, non ta-men hæc tam necessaria, & tam sacrosancta munera erāt propter illa deferenda, sed ècon tra, illa alijs deleganda, vt hæc possent per idoneos ministros ritè dispensari, sicut fece-runt Apostoli, de quorum successione Epis-copi verè gloriantur. Qui cùm œconomiam exercecent, & curam pauperum haberent, videntes quòd minimè possent vtriq; offi-cio pro sua necessitate satisfacere, abdicarūt se ab officio suo ciiali, & reseruarunt solū ecclesiasticum, elegerūt Diaconos siue œco-nomos, qui œconomiam exercecent, vt ipsi Apostoli prædicationi & orationi vacarent. Qua in re obseruandum est, quām longe ab



Apostolis distent nostri pastores. Nam Apostoli retinuerūt id officium, quod verè Apostolicū erat, puram administrationē euangelij. At, nostri pastores abdicato alijsq; delegato prædicandi euangeli, officio, retinuerūt sibi ciuilia & prophana ministeria. Utinam ad mensas & curam pauperum, quam reliquerunt Apostoli, isti rediſſent.

**Quartus locus scriptrae.** Præterea quarto sunt verba Domini ad Zachariam prophetam dicentis. Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti, quia ecce ego suscito pastore in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæreret, & contritum nō sanabit, & carnes pinguium comedet. O pastor & idolum derelinquēs gregem, gladius super brachium eius, & super oculū dextrū eius. Brachiū eius ariditate siccabitur, & occlusus dexter eius tenebrescens obscurabitur, Hæc dicit Dominus. Vide quām graphicē depingantur nōnulli pastores huius nostræ tempestatis, qui habent quidē vasa pastoria, peram, baculum, & mitram, & lana, & late ouium fruuntur: gregem tamen eis commissum nō pascūt: Hos appellat spiritus Domini, pastores & idola. Pastores quidē, propter authoritatē episcopalē, quam etiam malii pastores retinent: idola, propter representationem eius rei, quam verè nō habent, sed mortuā

mortuā illius imaginē: faxit Christus, ne videamus & reliqua, quæ spiritus sanctus comminatur episcopis derelictibus gregē sibi commissum, nempe gladium super brachium eorum, hoc est, super potentiam eorum temporalem, sicut iam ab Aquilone descendebat, dissicans, & perdēs ecclesiasticam protestatem, nisi dominus Ecclesiæ suę misertus, per Carolum Cœfarem huic gladio occurrifset, qui in fortitudine brachij sui, aduersariū Ecclesiæ cōminuit hoc anno potentiam.

Per oculum dextrum intellige rectitudinem iudicij, prouidentiam, solitudinem, in agendis, intelligentiā legis, & mysteriorum eius. Hunc minatur excæcandum Dominus pastoribus stultis, qui derelinquent gregē, contra quos spiritus Domini adhuc clamat per Hiero. Sacerdotes non dixerunt populo meo, ubi est dominus, & tenentes legē nescierunt me. Et pastores præuaricati sunt in me. Hoc ipsum visus est dixisse Hiero. cū scriberet ad Heliodorū. Non oēs ep̄i, ep̄i sunt, quo niā episcopus Gr̄ecē inspecto est siue curator. Hinc falso dicuntur ep̄i, qui sibi viuunt, nō gregi, sed de noībus, suus post erit locus.

Duo sunt hoc loco, quæ meo iudicio eidenter demōstrant immane delictū reputari apud Deum absentiam episcoporum à suo

B 4 grege.



**Cap. III. De necess. residentia**

grege. Primum est, quia eiusmodi episcopi, derelinquentes greges, vocat spiritus Domini pastores & idola. Alterum est seuera illa pœnæ interminatio. Brachium eius ariditate siccabitur. Quibus malis non solet cōminari Dominus, nisi vbi est insigniter offensus: quæ duo lectori expendenda relinquo.

**Quintus locus scriptræ.** Item lib. Num. Moses, cui iam significata erat mors sua, de pastore sui loco ordinando sic dominum allocutus est. Prouideat dominus deus hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus domini sicut oves absq; pastore. Quibus verbis apertè Moses declarauit officia episcoporum, quæ (vt vides) necessariò requirūt præsentiam personalem eorundem: confirmat hoc Esa. enuncians aduentum filij Dei in carne, describitq; illum pastorem, & in eo declarat munus spirituale pastorum, dicens. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congrebat agnos, & in signo suo leuabit: foetas ipse portabit. Diligentius adhuc hæc duo loca considerarem atq; tractarem, nisi haberemus alia loca multò manifestiora, quibus collatis & ista liquidius manifestantur, & si ista non essent, illa sufficerent.

**C A P.**

**Episco. & alio. mini. Ecclesie.**

13

**CAP. IIII. QVO TESTIMONIIS euangelicis probatur residentiam personalem ministrorum Ecclesie esse de iure diuino.**



ATT H. 10. quādo mi *Sextus* lo sit Christus duodecim *cus* scri Apostolos per ciuitates *pturæ*. Israelis prædicare euangelium, cū præfatus fuif set. Messis quidem mul *Matth. 10* ta, operarij verò pauci, rogate Dominū messis, vt mittat operarios in messern suam &c. Sed hæc obiter annotemus, quia nō dixit Christus, sacerdotes pauci: doctores pauci: sed operarij pauci: quia semper orbis habuit sacerdotum & doctorū numerosam multitudinem, operarios verò, qui sacerdotum & episcoporū officio rectè fungerentur, semper habuit paucos. Hæc igitur præfatus primò ordinavit, vt gratis admistrarent munera illa cœlestia, tantum permisit, vt operantes apud illos salutem æternam, quæ ad vitā naturalem seruandā erant necessaria, desumerent, dicens. Edentes & bibentes, quæ apud illos sunt, quoniam dign' est operarius cibo suo. Theophi. hoc est, à discipulis pascemini: debebūt enim hoc vobis,

**B 5 vt opera-**



ut operarijs. Dixit autē cibo non luxu, neq; enim delitiari oportet doctorem. Hæc Theo phi. Expendamus vocem illam, operarius. Qui non est operarius, nō est dignus cibum desumere, nec illi debetur aliqua merces in Ecclesia. Sed qui non sunt in diœcesi sua, nō possunt in ea operari: ergo absentes non pos sunt iure accipere mercedem aliquam, cùm non sint operarij. Hoc idē præscripsit Christus septuaginta duobus discipulis. Luc. io. dicens. Comedite, & bibite, quæ vobis apponuntur, dignus est operarius mercede sua. Theophi. Pro mercede autem habete cibū, & ne quæratis & pasci, & mercedem insuper accipere, sed cibum pro mercede habetote. Soli ergo operarij suscipiūt ex institutione euangelica mercedem in Ecclesia. Chrysost. super Matth. cap. io. Expēdamus vtranq; vocem, operarius, & mercede sua. Mercedē appellat, vt rem debitam dari sibi ostenderet. Dignus est operarius cibo suo dixit Christus, ne Apostoli plus aliquid quærāt. Confirmatur hoc ex verbis Pauli in. 2. ad Timo. 2. Sollicitè autē cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operariū inconfusibilem, recte tractantem verbū veritatis. Quo loco Paulus instruit episcopum, & præcipit vt se exhibeat opera riū inconfusibilem. Secundò confirmatur  
hoc

hoc ex eodē Paulo. i. Timo. 5. Qui benè præsunt præsbyteri, duplice honore digni habeantur, maximiè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enī scriptura. Dignus est operarius mercede sua, & non alligabis os boui tritū. Obserua verba Pauli, docet dupli ci stipendio dignos presbyteros, sed eos tantum, qui benè præsunt, & eos, qui laborant in verbo & doctrina, quod probat per scripturam, quæ iubet: ne infrēnetur bos tritū. Vnde ociosus bos poterat infrēnari. Ergo & minister ociosus & absens potest infrēnari, ne pascatur ex fructib⁹ Ecclesiæ. Igitur si velint pasci, & fruct⁹ desumere, tenētur labore tritūdo messē Christi, quod absentes facere nō possūt. Ergo quatenus tenētur ad actionē ministerij & labore, eatenus tenētur ad præsentia regularē in Ecclesijs suis. Chrysost. i. Timo. 5. Duo adducit Apostol⁹ testimonia: primū ex lege Deut. 25. Nō alligabis &c. Alterū ex Chrysost. Dignus est operarius &c. & ambo sibi consentiunt: vult Dominus laborare doctorem. Itaq; si quis delicatus est, aut remissus fuerit, dignus profecto non est. Nisi quis fuerit bos tritū, & per gelu, & spinas iugū sustinens, traxerit, dignus nō est. Ergo Ecclesiæ præsides (audēter dixerī) nihil præter viatum, & vestitū habere oportet, ne ad ista



ista terrena trahantur desiderio. Audi quid addit. Qui benè præsunt &c. Quid est benè præesse? Audi Christū. Bonus pastor animā suam ponit pro ouibus suis. Hæc Chrysoīt.

**Septimus** Ioannis. io. Christus describit cōditiones locū scri boni pastoris, dicens. Bonus pastor animam pturæ. suam ponit pro ouibus suis, & oues vocem Consulat eius audiunt, & proprias oues vocat nominat. lector B. natim, & educit eas: & cū proprias oues emi Cyrilum serit, ante eas vadit, & sequuntur illum, quia in Ioā. li. sciunt vocem eius. Alienū autē non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non nouerūt vocem alienorū. Hoc proverbiū dixit Iesuſ &c.

7. cap. 5. Nolo proponere efficacius argumentum, q̄ nuda hæc & simplicia verba Christi, oculis legentium subijcere. Considerent hæc, qui pastores se profitentur in ecclesia: & intelligent, quæ sint, quæ requirit Deus in pastori bus: & si valent hæc præstare vel ociosi, vel absentes, vel secularibus negotijs implicati. Ego ad tribunal suarum conscientiarū prouoco. Tantūm allegabo, quæ Christus ibidē de se subijciat, dicēs. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis: mercenarius autem, cuius nō sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lup⁹ rapit, & dispergit oues. Mercenarius fugit, quia mercenarius est, &

non

non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum paſtor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me mee. Haec tenus princeps pastorum Christus Iesuſ per hæc allegata, & probata ipsius Dei testimonio, ferant in hac causa sententiam si velint etiam ipsi aduersarij, libens astabo ad tribunal suarum conscientiarum: sed primò audient verba illa Christi. Bonus pastor proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & cū proprias oues emiserit, ante eas vadit. Quibus auditis cōdemnent meam sententiam si possunt. O tempora, in quibus iam bona pars episcoporum non putet sui esse muneris, vel residere apud ecclesiā suas, vel ullam pastoralis functionis partem per se illis præstare, cumq; episcopi eō degenerarent cæteris prælatis, vt idem ficerent, licentiam dederunt: & hinc ventum est ad præsentes Ecclesiæ calamitates & erūnas. Theophilus lactus in Ioannem. Hoc loco agnosces differentiam pastoris & mercenarij. Nam mercenarius quidem nescit oues: quod contingit, quia non sæpe illas inuisit: nam si sæpe inuiseret, cognosceret illas, ac pastor, qualis Christus, cognoscit suas oues: quia curā illarum agit, & rursus cognoscitur ab illis, quas visitatione dignatur, & propter consuetudinem agnoscētium suum curatorē. Obserua quid intersit

Theophilus  
lactus.



intersit inter mercenarium & pastorem. Ille si lupum videt venientē, fugit: quia non pertinet ad eum de ouibus. Iste verò ponit animam suam pro ouibus suis. Et quot exēpla nobis exhibent huius doctrinæ præsentia hæc deploranda secula? Quid perdidit totā ferè Germaniam, nisi ocium & absentia pastorum? Volentes esse principes seculares, desierunt esse pastores. Venerunt lupi in stabulum ouium, non inuentis pastoribus rapuerunt, & aberrare fecerunt oues, sicut nūc miserè per varias hæreses & sectas aberrant. Quæ mala flebat olim Dñs per Hiere. cap. 50. Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, feceruntq; vagari in montibus, de monte in collē transierūt, obliti sunt cubilis sui. Quid ab alienauit à tota Ecclesia Angliam, nisi quòd vix vius pastor inuētus est, qui poneret animā suam pro ouibus suis? Et cùm hæc sint luce meridiana lucidiora, sunt non rari pastores, qui sibi persuadēt se nullo iure teneri, vt sint cum ouibus suis, nisi constitutione quadam Pontificia, non autem cōstringi lege aliqua diuina, aut naturali. Hoc loco idē Theophili inquit. Hinc differentiam mercenarij & pastoris elicies. Nam mercenari⁹ ignorat oues, quia raro visitat eas: pastor verò cognoscit oues

oues proprias, tanq; erga eas solitus. Item Chryso. super Ioan. 10. hom. 59. explicant ver Chrysobā Dñi: Ego sum pastor bonus, ita scribit. *stomus.* Magnū quiddā dilectissimi, magnū, inquā, est Ecclesiæ prælatio, & quæ multa indiget sapientia & fortitudine qualē Christus proposuit, vt nunq; oues deseram⁹: lupo generosè resistam⁹. Hæc enim inter pastore, & mercenariū differentia. Alter proprię, contēptis ouib⁹, alter sua contēpta, ouiu semper saluti inuigilat. Et hoc ipsū ex testimonio Ezechie lis cōfirmat. c. 34. Væ pastoribus Israel &c.

Quidam voluit infirmare argumentum Dilatio acceptum ab hoc loco, dicēs verba huius capitatis pertinere ad solum Christum, nec ad obiectio- nis cuius alium pastorem posse accōmodari: ac proin de aiebat, quæ in eo capite dicūtur, non esse requirenda ab alio pastore ecclesiastico, nec ex his sumendum argumentum, vt probaretur residentia ex iure diuino. Sed quām sint hæc voluntariè dicta, patet. Primò, idē Apostolus, qui ex persona Christi recensuit, quæ hoc capite annotātur, scripsit in epistola sua prima (& forsā arguēs ex his, quæ scripserat in historia euāgelica) In hoc cognoui⁹ charitatē Dei, quoniā ille aīam suā, p nobis posuit, & nos debem⁹ pro fratrib⁹ aīas ponere, hic Ioānes ex facto Christi arguit, quid nos debeamus



Augusti-  
nus super  
Ioan.

debeamus facere, ad hunc modū ex his, quæ hoc loco dixit Christus de se, proponens se ipsum exemplar à nobis imitandum, arguere debemus, quæ sint, quæ ille requirat à reliquis pastoribus ecclesiasticis, quod & ante nos fecerūt omnes patres Ecclesiæ. Augustinus in epistola ad Honoratum arguit, quòd instantे aliqua persecutione ouium, episcopus non potest fugere: quia exemplo Domini, tenetur bonus pastor ponere animā pro ouibus suis: simile quid collegit, vbi ait. de verbis Domini. Serm. 50. pastor bonus Christus, quid Petrus, nōnne bonus pastor? nōnne & ipse animam suam pro ouibus posuit? Quid Paulus? Quid cæteri Apostoli? Quid eorum tempora consequentes beati episcopi Martyres? Quid etiā iste sanctus Cyprianus: Nōnne omnes pastores boni? Non mercenarij, de quibus dicitur. Amen dico vobis perceperunt mercedem suam? Omnes ergo isti pastores boni, non solum quia sanguinē fuderunt, sed quia pro ouibus fuderunt. Idē alibi citatus in cathena. Si autem præpositi Ecclesiæ, qui filij sunt, pastores sunt, quomo do vnus pastor est, nisi quia sunt illi omnes vnius membra pastoris, & quidē, qui pastor est, dedit hoc membris suis. Nam & Petrus pastor, & cæteri Apostoli pastores, & omnes boni

boni episcopi. Vides, lector, secundum Augustinum verba huius capituli, non ad solum Christum pertinere. Eadem & fusiūs anno- Lib. 7. taut. B. Cyrillus in Ioannē, cuius verba infrā cap. 3. recensebo. Deinde, Christus hoc loco distinguit inter mercenariū, & pastore, & generaliter notat signa, quibus iste distinguitur ab illo, & vnum est hoc: quia bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis, nec fugit veniente lupo, quod facit mercenarius. Igitur non de solo Christo accipienda sunt, quæ hoc capite docētur, sed ab illo ad reliq̄ pastores transferenda, & ab eis requirenda.

Octauò, arguitur ex verbis Dñi ad Petrū, Octauus volens Dominus, ascensurus ad pātrē, Vicarium in terris instituere, & Petrum vniuersæ locus scriptræ. Ecclesiæ pastorem præficere, dixit illi. Simō Ioan. 21. Ioannis diligis me plus his? Dixit ei. Etiam Consulens Domine, tu scis quia amo te. Dixit ei. Pasce agnos Chrysostomus meos. Dixit ei iterum. Simon diligis so. in oratione de me? ait illi. Etiā domine, tu scis quia amo te. Dicit ei iterum. Pasce agnos meos. Dixit ei Beato P. tertio. Petre amas me? Cōtristatus est Petr⁹, logonio: quia dixit ei tertio, Amas me, & dixit ei. Dñe & de satu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Dixit ei. Pasce oves meas. Hoc loco solo scripturarū lib. 2. in contendit Caieta. Cardinalis demonstrare principi certū & euidentes Episcopos vniuersos teneri

C ex



**X** ex præcepto iuris diuini ad residentiā personalem: & verè locus hic est , meo quidē iudicio, efficacissimus, quia verba illa tertio repetita: Pascere oves meas, sunt verum & absolutum Dñi præceptū , quibus apertè præcipitur ministerium pascendi & regendi oves Dominicas ijs, qui hæc curā suscepérunt, quod ex exerceri nulla ratione potest nisi adsit episcopus præsens. Quoniā ministerium pascendi implicat multa, quæ necessariò requirunt præsentia personalē, vt locupletissimè expli- cavit Card. Caietañ. & nos fusiùs infrà adnotabimus. Sic intellexerūt hunc locum fermè oēs Patres Ecclesiæ: quorū primo loco produco, Bernardū, qui super cātica sermo. 76.

**Bernard<sup>o</sup>** Sic ait. Non ociosè toties repetitū est, Petre amas me , in cōmissione ouiu: & ego quidē id significatum perinde puto , ac si illi dixisset Iesus : Nisi testimonium tibi perhibente cōsciētia, quòd me ames , & valdè perfecte q; ames , hoc est, plusquam tua, plusquam tuos, plusquam & te , vt huius repetitionis meæ, numerus impleatur : ne quaquam suscipias curam hanc , nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus sanguis vtiq; meus effusus est. Terribilis sermo, & qui possit etiam impauida quorumuis tyrannorum corda concutere . Propterea attendite vobis, quicunq;

opus

opus ministerij huius sortiti estis . Attēdite, inquā, vobis & pretioso deposito, quod vobis creditum est. Ciuitas est, vigilate ad custodiam: sponsa est, studete ornatui : oves sunt, intendite pastui: & hæc tria ad illam Domini trinam sc̄iſcitatem fortè non incongruè pertinere dicentur. Porrò custodia ciuitatis, vt sit sufficiens, trifaria erit, à vi tyrānum, à fraude hæreticorum, à temptationibus dæmonum. Sponsæ verò ornatus , in bonis operibus & moribus & ordinibus. Ac pastus ouium communiter quidem in pascuis scripturarum tanquam in hereditate Domini , sed est distinctio in illis. Nam sunt mandata , quæ duris atq; carnalibus animis imponuntur ex lege vitæ, & disciplinæ. Et sunt olera dispensationum , quæ infirmis & pusillis corde , de respectu misericordiæ apponuntur. Et sunt consiliorum solida fortiaq;, quæ ex intimis sapientiæ proponuntur sanis , & qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali . Paruulis nanque tanquam agniculis adhortationis lac, potus datur, non esca. Ad hæc boni solliciti q; pastores impinguare pecus non cessant bonis lætisq; exēplis, & suis magis quā alienis, nam si alienis & nō suis ignominia est illis, & pecus ita non proficit. Si enim ( verbi causa ) ego

C 2 qui



qui videor inter vos pastoris gerere curam, vobis apposuero Moysi māfuetudinem, patientiam Job, misericordiam Samuelis, Davidis sanctitatem: & si qua sunt eiusmodi exempla bonorum, immitis ipse, & impatiens atq; immisericors, & minimè sanctus, sermo, vt vereor, minus sapidè eueniet, & vos minus audiē capietis. Verūm, hoc supernæ pietati relinquo, vt quod minus vobis ex nobis est, ipsa suppleat, & quod perperā, ipsa corrigat. Nūc verò bonus pastor hoc quoq; curabit, vt secundum euangelium inueniatur habere sal in semetipso: sciens quia sermo sale conditus quantū placuerit ad gratiam, tantū prodiderit ad salutem. Hæc interim de custodia ciuitatis atq; ornatu sponsæ, necnon & pastu ouiu dicta sint. Hæc Bernard⁹. Audis, cādide lector, testem omni exceptione maiore, qui perspicuè & plenè cōfirmat sententiā nřam. quid potest ad hæc responderi, nisi negetur tāti doctoris authoritas? sed audi rurs⁹ eūdē.

Itē sermone secūdo de resurrectione Christi, sic ait. Petrus mādatum accepit tertio passere gregem Domini. Pasce, inquit, mente: Pasce ore: Pasce opere: Pasce animi oratione: verbi exhortatione: exēpli exhibitione. Itē Alcuinus eiusdem vocis significationem explicat, dicens. Pascerem oues est, credentes in Christo

Christo ne à fide deficiant confortare, terra subidia si necesse est, subditis prouidere, & exempla virtutū cum verbo prædicatiois impendere, aduersarijs obſistere, errantes subditos corrigere. Hæc Alcuinus.

Non ab re erit inter tot antiquorum patrum testimonia, etiam Erasmi verba afferre, quæ maximè conferre videntur, etiam si eius viri authoritas non sit nobis argumentum. Hic igitur hunc locum nō indiligenter annotauit in confusionem aduersariorū nostrorum in annotationibus super Ioannem, ibi: Pasce agnos meos. Cuius annotatio sic habet. Qui ex loco gloriātur sibi cōmissum gregem Domini, eos primū oportet meminisse à Petro ter exactum amorem erga Christum, neq; quemlibet amorem, sed ardenter cæteris: Deinde, ter item commissam illi curam gregis. Illud nimirū significatum est, non esse idoneum sacerdotio, nisi qui negletis omnib⁹ nihil amet, nisi Christū, hoc est, veritatē: innocentia: pietatem. Ad hæc nihil huic antiquius esse debere, quam incolumente gregis sibi crediti. Proinde quæso, quid frontis est istis quibusdam, qui prophanis, imò sceleratis principū obsequijs, qui pecunijs huc penetrat, qui sacerdotiū nihil aliud q̄ quæstū ac tyrannidē esse putant? Nec me-



minerūt quā attētē quibusq; legibus Christus suas oues Petro commiserit. Nec cōmiserit deuorandas, sed pascēdas exēplo pię vitę: Pascendas euangelicę doctrinę pabulo, siue lac desiderabunt, siue solidum cibum: Pascēdas etiam opum subsidio, si res ita poposcerit, hæc citatus author, quæ nec incongruè, nec falsò, hoc tempore annotata videntur.

**Nonus lo-** Nonò, est locus nō inefficax in actis Apo-  
**cus scri-** stolicis, vbi est oratio Pauli ad presbyteros  
**ptura.** Ephesios exhortatoria, qua hortatur, vt offi-  
cio suo diligenter fungantur. Qui ascendens  
Hierosolymam, transiens Macedoniam ac-  
cessiuit præsbyteros Ephesiorum, quos sic  
alloquutus est.

**Aet. 20.** Contestor vos hodierna die, quòd mun-  
dus sum à sanguine ouium: nō enim subter-  
fugi quo minus annuciarem omne consi-  
gium Dei vobis. Quo loco Gregorius libro  
epistolarum. i. epistola. 33. sic ait. Mundus à  
sanguine eorum non esset, si eisdem consiliū  
annūciare noluisset: quia cùm increpare de-  
linquentes noluerit, eos proculdubio tacen-  
do pastor occidit. Hac igitur consideratione  
cōpulsus, velis nolis locutus sum: quia omni  
virtute aut te cupio saluari, aut de tua morte  
me eripi. Postquā hæc Paulus præfatus est,  
subiungit. Attēdite vobis & vniuerso gregi,  
in quo

in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos  
regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit san-  
guine suo. Ex vobis surgent viri loquentes  
puerſa, vt adducat discipulos post se: ppter  
quod vigilate, memoria retinētes, quoniam  
per triennium die ac nocte non cessāui cum  
lachrymis monere vnūquenq; vestrum. &c.  
Si verba Pauli attētē cōſideres, videbis, qui-  
bus rationibus ostēdat, cur præsbyteri Ephē-  
ſij debebant suo ministerio diligēter fungi.

Primò, quia (inquit Paulus) tota Ecclesię **1. Ratio.**  
cura iā in vos solos incūbet, & si qd negliga-  
tur, vobis solis culpa impigi potest & debet.

Secundò, quia spiritus sanctus posuit vos **2. Ratio.**  
episcopos ad regēdam Ecclesiam Dei. Pro-  
inde, si fueritis ignavi lectores, non in homi-  
nes, sed in Deū peccabitis: nec hominis, sed  
spiritus sancti mandatum violatis.

Tertiò, quia Iesus Christus, qui est Domi- **3. Ratio.**  
nus Deus noster, acquisiuit Ecclesiam, cuius  
ipſi episcopi, speculatores, curatores, docto-  
res sunt, non vili, sed incomparabili pretio,  
videlicet, non auro, argento, non deniq; ullis  
terrenis diuinijs, sed suo ipsius sanguine.

Quartò, sumit rationem à periculo, di- **4. Ratio.**  
cens. Ego scio, quòd intrabūt post discessum  
meum lupi rapaces in vos, non parcētes gre-  
gi. &c. quo vos oportet esse magis attentos,

C 4 & vigi-



& vigilantes super gregem Dominicum, quia bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.

5.Ratio.

Quinto, sumit rationem ab exemplo, dicens. Meniores estote, q̄ per trienniū nocte & die &c. Monet Paulus presbyteros, vt sui exempli meminerint, & quemadmodū ipse etiam cum lachrymis toto triennio singulorum salutem curauerit: ita æquum est, vt illi multo maiori solicitudine, ministeriū suum vrgeant, quādo maiora pericula instant. Hęc Paulus ad Episcopos Ephesios.

Rogo te, lector, quis tāta solicitudine curabit salutē ouīū suarū, aut tā diligenter defungetur hoc sacro ministerio absēs? Quid putas dixisset Paulus, si Episcopus aliquis Ephesius astans, respōdisset Paulo: ero quidem Pastor, & episcopus, & curabo salutem harū ouīū mihi cōmissarū, sed interim oportet me per aliquot annos manere Romæ, & in aula Cæsaris versari, & defungi munere quodā, honesto quidē illo, sed Cæfareo: pascetur verò grex Christi per suppositū quendā pastore, Nec tamē ponā ego gregis Xpi curam, nā ē Roma per literas curabo multa, & cū vacauerit, interī etiā ipse visā gregē mihi cōmissū p̄ dies aliquot. Nōne sic abūde satis fecero demādato mihi muneri? Quid, inquā,

*Confue-  
bāt & eo  
tēpore Ro-  
mā ex or-  
be vniuer-  
so cuius-  
uis ordi-  
nis viri  
sicut &  
nunc.*

putas

putas responsum Paulum? Credo neminē fugit, quid Paulus fuisse dicturus, ad hęc tam noua & inaudita verba: hoc ipsum puto, eum & nunc respondere multis apud tribunal Christi iudicis.

C A P. V. QVO TESTIMONIIS APO-  
stolicis ostenditur de iure naturali & di-  
uino esse necessariam residentiam pa-  
storum ecclesiasticorum.



A V L V S i. Corin. 9. Decimus disputat, quam potesta locus scri tem habeāt ministri ec- pturæ cleesiastici desumēdi, si Paulus. i. ue metendi carnalia ab Corin. 9. Ecclesijs fideliū, vbi du Cōsulatle plici ordine argumen- etor Aug. torum probat solūm licere illis manduca libro. 2. de re, & bibere, siue viuere ex ministerio ecclie sermone dñi in mō

Primò, id astruit argumētis duntaxat hu te, in hęc manis, dicens. Quis militat suis stipēdijs vñ- uerba, nec quam? Quis plantat vineā, & de fructu eius corpori non comedit? Quis pascit gregem, & de lacte vestro eius non manducat? Si obserues Apostoli quidin- verba, videbis, quod tantum militantibus, duatur. plantantibus, pascētibus gregem Domini- cū concedit ius percipiendi fructus tempo-

C 5 rales.



rales. Cùm igitur istas actiones non possint facere nisi præsentes, consequitur ministros teneri ad præsentiam corporalem, qua sola possunt implere ministeria sua.

**Deut. 25.** Secundò, arguit ex lege Mosis. Scriptū est. Non alligabis os boui tritauranti. Quę verba exponēs quidam haud obscurus Doctor, sic ait. Annotandus hic locus his, qui tantis clamoribus tantaq; tyrannide decimas & plus quamā decimas extorquēt à pauperrimis quoquè laicis, nec intelligūt legē vetare, ne quis obliget os boui, sed triturāti, hoc est, docēti, monenti, exhortāti, sacrificanti, ac cæteris sacerdotalibus officijs fungenti. Quid autem hoc ad istos quosdā, qui nō solū in ocio, sed in sardanapalicis delicijs vitam omnē transfigunt? Hęc ille, audi nunc Paulum. Quę propter nos ministros euangelij scripta sunt, nō propter boues, quorum Deus nō habet tam peculiarem curā. Si nos vobis spiritualia seminam⁹, magnū est si carnalia metam⁹? Qui in sacrario operantur, quę de sacrario sunt, edūt. Et qui altario deseruiūt, cū altario percipiāt. Ita & Dominus ordinauit ijs, qui euāgeliū annunciant, de euangelio viuere: quę verba explicās Bernardus in declamatione. Ecce nos relinquimus oīa, sic ait. Viuat, inquit, de altario & iuxta Apostolū alimenta,

&amp;

& quibus tegatur habēs his cōtentus sit, viuat, nō superbiat, nō luxurietur, deniq; non ditetur, nec ex clericatu ditior fiat. Hęc Bernar. Huius vocis emphasis annotauit & Theophilactus, & ante hūc Chrysostomus. Non enim, ait, sacerdotes, sed qui assidēt altario, vt intelligamus assiduū cultū sacrорū: at hodie nulli ferē magis absunt ab altario, q; hi qui maximē participes sunt altiorū, nec vlli molestius exigūt à populo decimas, q; hi qui nihil eorū prelant populo, quorū gratia dādæ fuerāt decimē: nec satis est assidere, sed operandū est, nec satis quiduis operari, sacra oportet operari, & in his assiduū esse, nec dixit ex sacro accipiūt, sed ex sacro vescuntur, vt admoneat victū deberi non diuitias: sic ferē quidā quę semel superius citaui, quę ob id adscripsi, q; nimis ad præsens argumentū faciunt, & verē, pieq; dicta sunt. Observa obsecro, Christiane lector, quid Apostolus nobis tradat secundū doctrinam, qua edocitus est ab spiritu sancto & secundū ordinationē Christi quā exhibuit Apostolis seminātibus spiritualia, afferit licitū metere carnalia, & seruientibus sacrario ex illo edere, & annunciantibus euangelium, viuere ex illo. Hęc à Christo ordinata sunt, ergo qui volet nō modo viuere ex ministerio euāglico,



lico, sed abūdere, sed luxuriari, & instar principum prophenorū aulam alere, hæc nō faciet secundū ordinationē Dominicā. Nam, vt Apostolus nobis tradit, Dominus ita ordinavit, vt qui euangeliū annunciant, viuāt ex illo. Rursus qui volunt, nihil spirituale seminantes, metere stipendium carnale, altario non inseruentes ex altario edere, nouerint se id non secundum ordinationem Domini facere, nisi dicant, se hæc facere per fictitious quosdam ministros, quos vulgus titulares vocat. Auertat Deus ab Ecclesia eiusmodi monstra. Nōnne monstrum est pastores fingere vbi nullæ sunt oves pascendæ? causentur quod volunt, satis superq; intellectus orbis, quod volentes ociosi, aut absentes, & in prophanis negocijs occupati, ab Ecclesia stipendia percipere, & oves Christi deglubere, contendunt munus episcopale prophanum, & mundanam quandā dominationē facere, sicut cum maximo Ecclesiæ malo fecerunt multi, & nunc etiam faciunt: potuit alijs fortasse temporibus, potuit aliquādo firmitate sua, negligentiam & episcoporum à suis sedibus absentiam ferre Ecclesia Christi: iam nō potest, disiecta sunt à capite suo non pauca membra, reges, populi, natiōes, morbus in dies crescit, serpit vbiq; hæretica

hæretica pestis, inest hoc tempore malum haud penitus animis hominum insitum, sed foras emergit, atq; erumpit vndiq; vt cohiberi nō possit: omnes boni mōrent, templa gemunt, tecta ipsa vrbum lugent, populus Christianus vniuersus in cœlum clamat, & si ista tacuerint lapides clamabunt.

Vndeциmò, Rursus produco Paulum in prima ad Thessalonicens. cap. 5. vbi sic allocutur plebem fidelem. Rogamus autē vos fratres vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum. Overba aurea, & verè à diuino spiritu prolata ob perfidiam huius temporis. Rogat Paulus, vt rationem habeamus prælatorum nostrorum, & honore summo illos afficiamus. Sed audi prius quibus rationibus roget honorandos à nobis Ecclesiæ Præfules. Prima ratio, quia laborat, inquit, inter vos, quo liquet ociosos nullum promereri stipendium à subditis, iuxta illud, qui nō laborat, nō māducet. Item neq; absentes etiam si laborent, quoniā foris non inter nos laborant, & ibi honorandi vbi laborant. Secunda ratio, & præsunt vobis in domino. Quo loco audi Theophilactum. Si enim præfides tuos in humanis rebus in pre-

II. Locus  
scripturæ  
Theffa. 5.



cio habes, quanto potius his qui in diuinis rebus tibi pr̄sunt, gratiā & honorē te debere facteri debes, qđ ait in dñō, hoc est, nō in mūda nis rebus tibi pr̄sidet, sed in his quę ad dñm pertinēt. Orat p̄ te, regenerauit te p̄ baptisma, incitat pr̄terea, & adhortatur. Medicus tibi est, medijs in noctibus voces veniet. Hęc Theoph. Vides lector h̄ic clarē doceri necessaria pr̄sentiā pr̄latorū. Tertia ratio, & monēt vos, aliàs annotauimus ex Paulo. Quia oportet episcopū doctorē esse. Quarta ratio. Abundātius illos habeatis ī charitate, ppter opus illorū. Noua æditio habet, vt habeatis illos in humano precio per charitatem, hoc est, ministrādo illis necessaria propter opus illorū. Igitur vbi nullū est eorū opus, nō tenemur illis necessaria ministrare. Nam Paulus propter opus ipsorū, inquit. Honorate eos. Quare Paule? An quia nobiles? An verò quia sumptū magnū in curijs principum faciunt? Nihil horū, sed propter opus ipsorū: quod si officium suū nō faciunt, nec suis digna nominibus pr̄stant. Non est cur (autho rediuo Paulo) habeamus illos abundātius, nec illos agnoscamus episcopos, si nō labo- rant inter nos, qui illos nostris sumptibus & oblatiōibus alimus. Hęc locutus est Aposto- lus ad subditos. Audi quale describat esse de- bere

bere curā pr̄latorū. Rogamus autē vos fra- tres corripite inquietos, cōsolamini pusilla- nimes, suscipite infirmos, patiētes estote ad oēs. Videte, ne quis malū pro malo alicui red dat. Et quid explicatius potuit dicere, vt in- telligeremus necessariā pr̄sentiā personalē pr̄latorū? Nunquid absens monebit aut ar- guet inordinatos, cōsolabitur pusillanimes, & meticulosos, subleuabit infirmos, erit pa- tiēs erga oēs? Bene vides, cādide lector, q̄ sint hęc clara & aperta, vt qui hęc non videat, in media luce cęcutiat. Hęc locū admonet qui- dā annotandū diligēter ab ep̄is, qui exigūt à suis sumimū honorē cū ipsi nō curēt pr̄stare suū officiū, nā Paul⁹ iubet eos haberī in sum- mo honore, sed ppter opus, nō propter ina- nē titulū, hoc eit, laborantes, pr̄sidentes in dñō, nō cū fastu dominantes, admonentes, docētes, cōsolantes, quod primū est episco- porū munus. Cōfirmatur argumentū huius loci ex verbis Pauli. Mementote pr̄posito- Ad Hę- rū vestrōrū, qui vobis locuti sunt verbū dei. br̄. 13. Meminisse iubet nos pr̄latorū nostrorum. Sed non propter nudos titulos, sed propter verbum Dei, quod ab illis audimus.

Duodecimo, in demonstrationē pr̄fatax 12. Locus veritatis profero Paulū. i. Timot. 3. & Titum scriptu- capite primo quibus locis docet Apostolus r̄e. Pauli

**I.Timot.3** Timotheum, & Titum quibus cōditionibus  
et **Tit.c.1** eligendus sit episcopus ad regendam Eccle-  
cōfūlat le siam, dicens. Siquis episcopatum desiderat,  
etor Gre- bonum opus desiderat, vbi iam vides episco-  
goriū in pi munus quoddā opus vocari. Ex quo con-  
primapar sequitur ipsum episcopum operarium quen-  
te curā pā dam vocandum. Deinde subiungit. Oportet  
storālis episcopum irreprehensibilem esse, vigilan-,  
**cap.8.** et tem, sobriū, prudentem, hospitalem, docto-  
**Chrys.de** rem, vt potens sit & exhortari in fana doctri-  
sacerdo- na, & eos, qui contradicunt arguere. &c. Hęc  
**tio.l.3.cir** & plura Paulus describens quales secundū  
**ca mediū.** iura diuina eligendi sunt episcopi. Dic mihi  
obsecro, quomodo potest esse aut cognosci  
talis episcopus, si absens & incognitus est  
suæ Ecclesiæ, vt nunc sunt multi, quorū no-  
mina tantum audierunt in diœcesi sua, faciē  
verò aut mores viderūt nunq? Si absens, aut  
ignotus, quomodo vigilans? Si absens aut  
ociosus, quomodo doctor? Si iugiter vag-  
tur in aulis principū, quomodo hospitalis?  
De quo Hierony. in expositione huius loci.  
Oportet episcopi domum hospitium esse cō-  
mune fidelium. Crede mihi, aut errauit Pau-  
lus, cùm hęc docebat requirenda in episco-  
po, aut isti nostræ tempestatis prælati fallun-  
tur, si absentes, & alijs vilioribus implicati,  
putant satisfacturos se Christo, aut Ecclesiæ  
suæ.

suę. Sed quid veremur dicere, quod verū est,  
huiuscmodi episcopos esse illos de quibus  
**Augustin.in lib. de pastoribus cap.1.** inquit.  
Sunt in Ecclesia pastores, qui pastorum no-  
mine gaudere volunt, pastorum autem offi-  
cium implere nolunt, in quos alios hęc me-  
lius competere possunt? Quo loco audi  
Theoph. super verba Pauli ad Timoth. Si **1.Ad Ti-**  
quis præfūlatū expetit, non prohibeo, opus **mot.3.**  
enim & laborem desiderat, ne igitur domi-  
natū & authoritatē solam expetat. Episco-  
patus enim dicitur παπά τοῦ επισκοπήν πάντας, id  
est, ex eo q̄ omnes visitet, cōsideret & obser-  
uet. Et in verba Pauli ad Titū inquit. Si suos  
cōsolari & adhortari nō potest, pseudo epis-  
copus est. Nam alias virtutes in alijs sub epis-  
copo cōstitutis inueniat quisq; nimirū hospi-  
talē esse, sobriū, idq; genus alia: quod maxi-  
mè verò episcopū veluti characteribus qui-  
busdā & signis exprimat, docēdi munus est.

Decimotertio demonstratur præfata veri **13. Locus**  
tas ex verbis Pauli ad Timoth. quo loco sic **scripturæ**  
spiritus dñi per organū illud electionis suæ **2.Timo.5**  
in vno episcopo alloquitur vniuersos. Testi-  
fici corā Deo, & Christo Iesu, qui iudicatu-  
rus est viuos & mortuos, & per aduentū ip-  
sius, & regnū eius, prædica verbū, in ista op-  
portunię importune, argue, obsecra, increpa,

D in



in oī patientia & doctrina. Erit enim tēpus cū sanā doctrinā nō sustinebūt, sed ad sua de sideria coaceruabūt sibi magistros pruriētes auribus, & à veritate quidē auditū auertent, ad fabulas autē cōuertentur. Tu verò vigila, in oībus labora. Opus fac euangelistę, ministeriū tuū imple. Hæc Paulus. Quis nō videt hoc loco apertè demandatā esse & p̄sentiā & solicitudinē oībus episcopis? Audi secundō vocē spiritus. Prædica verbum, insta op portunē, importunē, argue, obsecra, increpa. Nunquid & ista fient per mercenarium, quē tibi subrogasti? Tu verò vigila, in omnibus labora. Necesse est labores non in omnibus, sed in paucis, si absens es à grege tuo. Ministerium tuū imple. Qui potes implere tam remotus à grege, quem verbo & exemplo pascere in tua ordinatione iurasti? Utinam omnes episcopi sic cogitarent hanc obtestationē cuiq; singulatim esse proditam, sicut est re uera. Quid autē exigit spiritus cū tam religiosa obtestatione. Prædica verbū? Quid Paulo respōdebunt pastores, vbi ventū erit adiudicium, cuius ipsos hic commonefacit?

**14. Locus** Quartodecimò, est & aliis locus meo iu scriptura dicio, euidenter demonstrans p̄missam ve 1. Petri. 5. ritatē in epistola canonica Petri, qui sic ha bet. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro cō-

cōsenior. &c. Pascite, qui in vobis est, gregem Dei: prouidentes, non coacte, sed spontaneè secundū deum: nec turpis lucri gratia, sed voluntariè, nec vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo, & cūm apparuerit princeps paſtorū, percipietis immarcessibile glorię coronā. Hæc Petrus Apostolus. Preceptū hoc apostolorū principe dignū, in oībus omniū episcoporū aulis vī aureis literis erat inscribendū. Pascite (inquit) gregē, nō opprime, nō expilate, idq; nō coacte velut ex officio, sed ex sincero affectu, tanq; patres, nec turpis lucri gratia, quasi p̄sentiēs Ecclesiæ pestē ex hac radice oriturā, deniq; nō dominātes more principū, sed exēplo & doctrina pascite, benefactis vincite: nunc ep̄orū bona pars nihil audit ab assentatoribus doctis: nisi dñia, ditiones, gladios, potestates, atq; hinc fastus nonnullorū plusquam mundanus. Multa sunt hoc loco à pastoribus ecclesiasticis consideranda in vsum ministerij sui, sed tria, quæ in rem nostram agunt, ego oculis lectorum subijcam. Obserua obsecro, Christiane lector, hæc quę spūs sanctus per os Petri apostoli iubeat epis, vt recte obeat sua munera.

Primū, pascite gregem vobis cōmissum. Quidam sic vertunt Græca: Pascite quantū in vobis est, gregem Christi.

Secundum, & id faciatis voluntariè, non velut dominiū exercentes in greges, qui vobis velut sorte gubernandi obtigerunt, hos enim vocat èditio vulgata clerros.

Tertium, & sic, vt sitis exemplaria gregis ex animo, quod nostra èditio dixit: facti forma gregis. Nunc cuiusuis lectoris iudicio relinquo causam nostram, si possunt hæc tria obleruari per absentem pastorem, vel ociosum, ingenuè fateor non teneri episcopum ad residentiam in Ecclesia sua. Si potest quis pascere gregem Christi, & esse exemplar, siue forma viuēdi suis ouibus absens, & aliud agens, tutissimus degat, vbi velit. Si verò nō potest, vel relinquat munus, vel subeat onus manendi, & pascēdi suas oues, à quibus ipse pascitur. His testimonijis hæc controuersia probata est sufficienter ita vt non reformidet æqui iudicis iudicium, immo vt ipsas penè conscientias aduersariorum appellare audeat.

**CAP. VI. DE PASTORVM SPIRITALIUM NOMINIBUS.** Nam hæc videntur partem esse diuinæ scripture, quæ vt à spiritu sapientiæ indita semper consonant rebus ipsis, ac proinde testimoniis scripturarum illa subiccimus.

**P O S-**



O S T R E M O excūtiamus si libet, quibus nominibus episcopi appellantur in sacris scripturis, vel hinc enim astruemus quod tanto-pere querimus. Et mihi quidem videntur suum nomē ignorare, qui putant sibi ociosis vagari licere, vel potius negocio longe ab officio alieno implicatis. In alijs quidē disciplinis leuè esset argumentum à nomine sumptū, quæ vel casu aliquo, vel humana ratione imponi solent, & licet aliquando vera, interdum tamen vana, sæpe etiā mentita usurpamus nomina. In hac verò disciplina, cuius author & magister est sp̄ritus sanctus, firmissimū est à nomine acceptū argumentū, quę quidē accōmodare solet rebus ipsis, secundū ipsarū rerum naturas, vt quod ipse velit in re, hoc nomē ipsum designet. Episcopus is dicitur qui speculatur, & attente rimatur, quid geratur. Nam vbi habemus. I. Petri cap. 5. Prudentes, Gr̄cē est ἐπισκόποντες, id est, intēdentes, aut episcopum agētes, quod tamē adeò vulgare est, vt ne mo nō intelligat. Si episcopos tantum excipias, c. 3. et. 18. hinc Ezechiel Vigiles & speculatores appellat episcopos. Quis igitur vnq̄ speculator cōtores.

*Episcopi*

**D 3 ductus**



ductus relicta prouincia, in qua munus illud habet, aliena pererrat? Hoc igitur est, quod olim dixit Hieronym<sup>9</sup> Heliodoro. Non omnes episcopi, episcopi sunt, hoc est, multi sic vocantur, sed pauci respondent suo nomini.

**Luc<sup>a</sup>. 9.** Dicuntur Angeli, cū apud Lucam & Mar Esa. c.33. cū, tū apud Esa. & Malach. Cur ita? quia mit Malac.c.2 tūtūr vt nūcij prædicaturi verbū Dei. **Quo-Angeli.** modo prædicabūt (dicit D. Paulus) nisi mittatur? Quisquā ne est adeō perfictē frontis, qui si nuncius mittatur Toletū: Tarragonē proficiscatur, vt ibi fungatur legatione? hoc nō facturus erat ab hoīe missus, & qui à deo nūcius mittitur vt Toleti, quę fert in mandas, palā faciat, Romā petet vbi quid deo prestat obsequij, libet magis silere q̄ dicere.

Montes etiā appellantur, cum alibi s̄ape, tum à Dauid Psal. 71. Quo verbo potuit vox diuina significantius firmitatē & presentiā episcopi ostendere? Suscipiāt (inquit) Montes pacem populo, & colles iustitiā. Montes Apostolos & eorum successores vocat, quia populo subdito Mesiæ annunciant pacem per Christū & verā iustitiā. His móribus Dauid præcatur, vt suscipiant pacem à domino, sed nō sibi solis, verū populo, vt popul<sup>9</sup> sub eis pace fruatur, & collibus, vt suscipiāt iustitiā, vt iustitia dirigantur, quæ pax & iustitia venit

venit oībus regnis, quæ Christū suscepérūt, sicut scriptū est. Quām speciosi pedes euangelizantiū bona, euangelizantiū pacē. Sicut enim terreni mótes primi excipiūt influentias cœlorū, & ex illis ad valles deriuantur, sic sacerdotes primi accepturi sunt cœlestia dona. Item per mótes immobilitas designatur, & montes eminēt ceteris terræ partibus, sic & sacerdotes perpetuò eminere debet reliquis fidelib<sup>9</sup>. Ad hēc verò opus erat episcopis & ministris, qui spū Christi feruētes bellū indicerent aduersarijs potestatibus, & sic pacē annunciarēt populo Dei, at nūc malo nostro videmus impletū illud eiusdē Dauidis. Transferentur montes in cor maris. Per mare enim in scripturis sacris hic mundus solet designari. Videmus nonnullos mótes ad cor maris, hoc est ad aulas principum secularium & alias curias migrasse. Vnde cùm dominus in argumentū fidei & vice miraculi dixerit. Si habueritis fidem sicut granū s<sup>n</sup>apis, dicetis móti huic transī hunc, illuc, & trāsibit, ita puto nunc nō minoris miraculi & fidei argumentū foret, si quis hos mysticos mótes à corde maris ad aridā reuocaret.

**Math. 17.** Vocātur boues ex interpretatione Pauli, Boves. qui exponēs illud Mosis. Nō alligabis os bo*1. Corin. 9* ui trituranti. Propter nos (ait) scriptam legē



nō propter boues , vt nō negemus mercede episcopo. Boum nomine episcoporū & doctorum labor designatur. Vnde Salomon. Vnde nō sunt boues præsepe vacuū est , sic etiam actū est de Ecclesia, vbi episcoporū & doctorū labor cessauerit , sicut iam in bona Ecclesiæ parte cessauit, postquam creuerunt opes in Ecclesia, interit doctrina, quia quanto crescūt opes crescunt curæ, & augetur familia, hinc Episcopi desierunt esse doctores in Ecclesia, & hæc vidētes principes (Deo sic permittente) coeperunt pinguiores prælaturas, & episcopat⁹ cōferre ijs per quos regna, & ditiones suas gubernāt , sic & opes & personę ecclesiasticę ab Ecclesijs in aulas principū maxima ex parte trāflatę sunt. Dic mihi, Christiane lector, an potuerit nobis proponi vllum animal tardius, & minus habile ad peregrinandū ? Quis nescit boues in eodem quo nascuntur loco, & opus facere, & animā agere? Non vocauit Episcopos equos, aut canes, q̄ illi in bello nati, hi adulatores & voraces, & peregrinandi audi videātur: quanuis, & equi, triturationi, & canes, ouium custodiæ non inepti sint, sed vocauit boues, quasi dicat immobiles, & perpetuos operarios.

2. Ad Ti-  
moth. 2. Insigniuntur etiam militum nomine, ita  
Paulus Timotheū episcopum, bonum mili-  
tem

tem vult esse , & se bonum certamē certasse: eiusdē. 4.  
exultat. Quis igitur adeò vecors est, vt militem sibi cōducat in familiæ & patriæ tutelā, & securitatem, & illum patiatur vagari longè a stationibus, vt conductor sit præda hostibus, dum miles in alieno versatur? Verū & si episcopus militis noniine satis admonebatur ne à loco discederet : tamen quia non omnino graue videbatur , si vnuus aut alter miles discederet, vocantur etiam Duces, qui Duces. nec transuersum quidem digitum possunt à castris abesse.

Dicuntur Patres, & Spirituales patres no Patres. mine perulgari : sed quis erit tam crudelis pater, vt filios, quos alere tenetur, deserat fame perituros, dū ipse, vt paulò licētius agat, nouas permutat regiones?. Et vt intelligam⁹ quām exposcat Paulus hanc præsentia, non veretur subire imaginem mulieris prægnantis: quæ tantum abest, vt filios, quos in vetero fert, relinquere valeat: q̄ leges humanæ partum viscerum, matris partē diffinierint. Audi quid scribat ad Galathas. Filioli mei, quos iterum parturio. Euge, optime episcope Paule , & vere pater, an hos tu vnquam deseres, an hos aborsu abiicies, quos iterum te parturire fateris?

Nominantur arietes à Dauid. Afferte Do Arietes.

D 5 mino



**Psal. 28.** mino filios arietum , & hoc ipsum voluit si-  
**Psal. 64.** gnificare , cū dixit , induiti sunt arietes ouiu.

An quisquà gregem reliquit sine ariete , qui præiret? Modo deplorabimus cū Hieremia gregem Dominicum , & dicemus. Facti sunt Principes eius, velut arietes non inuenientes pascua , & abierunt absq; fortitudine ante faciem subsequentis.

**Custodes** Dicuntur etiam custodes ciuitatis Hierusalem , vigiles sponsi Ecclesiae , gubernatores regni Christiani , vicarij Christi , quæ omnia nomina nihil aliud clamare videntur, quām præsentiam episcoporum in custodia & vigilia ob gregem commissum. An episcopi , qui subditos nunquam viderunt , nec cibo illos spirituali aluerūt , digni sunt aut honore , aut mercede villa ? Immo verò non apertè digni sunt , qui vtroq; priuarentur , vt proditores muneris traditi ? Túne cùm tot nominibus exciteris , vt operam tuam præstes præsens præsentibus , audes dubitare : an ad hoc iure diuino tencaris ? Tú ne absens , & ignotus Ecclesię tuę audes usurpare prædictos titulos ? Diceris pastor . Cùm nihil minus agas quām pascere ? Tú ne audes plebem Domini deuare vt panem , cùm tenearis illi panem spiritualem frangere , & temporalem : nec facias ? Qua fronte exposcis mercedem , nec vis tibi os alli

os alligari , cùm operas nullas exhibeas , nec triturationem vllam facias ?

Vocantur etiam pontifices , de cuius nominis ratione audi Bernardum in epistola quadragesima secunda ad Senonensem Archiepiscopum . O quām pulchra est (vt Sapiens clamat) casta generatio cum charitate , cum illa , inquam , charitate quam describit Apostolus de corde puro , & conscientia bona , & fide non ficta . Porrò puritas cordis in duobus consistit , in quærenda gloria Dei , & utilitate proximi , vt in oībus videlicet actis suis vel dictis , nihil suum quærat episcopus , sed tantū aut Dei honorem , aut salutē proximorum , aut vtrunq;. Hoc enim agens impletabit , non solum pontificis officium , sed & etymologiam nominis , pontem utiq; se ipsum faciens inter Deum , & proximum . Pertingit pons iste vsq; ad Deū ea fiducia , qua nō suā , sed illius gloriā querit . Pertingit vsq; ad proximum illa pietate , qua & ipsi non sibi prodesse desiderat : offert Deo bonus mediator preces & vota populorū , reportas illis à Deo benedictionē , & gratiā . Supplicat Maiestati pro excessibus delinquētiū , vindicat in peccantes iniuriā Dei , ingratit impparat beneficia pietatis , contēnentibus potētiae seueritatem insinuat . Vtrisq; tamē nihilominus placare



care studet indignantis furorem , nunc qui-  
dem hominum obtēdens infirmitatē , nunc  
diuinæ magnitudinem pietatis. Deniq; siue  
excedat Deo, siue sobrius sit nobis, aut Deo  
semp̄er , quantum in ipso est , placere gestit,  
aut præstare nobis: non quòd sibi omnino  
vtile est, quærēs, sed quòd multis. Fidelis pō-  
tifex, qui bona quælibet per manus trāseun-  
tia, siue diuina beneficia ad homines, siue ho-  
minum vota ad Deum , columbino intuens  
oculo, nihil sibi retētat ex omnibus. Nec po-  
puli requirit datum sed lucrum, nec Dei glo-  
riam usurpat sibi. Acceptum talentum non  
ligat in sudario, sed partitur nummularijs, à  
quibus & usuras recipit non sibi , sed domi-  
no. Non habet foueam vt vulpes , non tanq;  
volucris nidum , non loculos quomodo Iu-  
das , non deniq; ( sicut nec maria ) locum in  
diuersorio. Imitatur profectò illum, qui non  
habebat vbi reclinaret caput, factus in præ-  
sentiarum tanquā vas perditum , quandoq;  
proculdubio futurum vas in honorē, & non  
in contumeliam. Deniq; , perdidit animam  
suam in hoc mundo, vt in vitam eternam cu-  
stodiat eam. Hoc tāto puritatis internæ glo-  
riari non potest veraciter, nisi extrinsec⁹ glo-  
riolas perfectè respuerit . Nec enim purē va-  
let, Dei vel proximi quærere lucra, qui pro-  
pria

pria non contempserit. hæc Bernardus.

Item dicuntur scribæ docti non ad mun- *Scribæ*  
dum, sed ad regnum cœlorum. Scriba doct⁹ *Matth. 25*  
in regno cœlorum, profert de thesauro suo *i. Cor. 4*  
noua, & vetera. *eiusdē 3.*

Item ministri Christi, dispensatores mini- *2. Cor. 5.*  
steriorum Dei, adiutores Christi , columnæ *Eph. 6.*  
Ecclesiæ, legati Christi. Item dicūtur lapides  
sanctuarij, de quo Grego. libro pastoralis cu-  
ræ parte. 2. cap. 7. sic ait. hoc cum magno do- *Treno. 1.*  
lore charitatis Hieremias propheta conspi-  
ciens quasi sub destructione tēpli deplorat,  
dicens. Quomodo obscuratum est aurum,  
mutatus est color optimus , dispersi sunt la-  
pides sanctuarij in medio omnium platearū.  
Quid per sanctuarij lapides, nisi sacrorum or-  
dinum personæ figurantur ? Quid platearū  
nomine, nisi præsentis vitæ latitudo designa-  
tur ? Sanctuarij lapides in platea dispergun-  
tur, cùm causarum secularium foras lata iti-  
nera expetunt hi, qui ad ornamētum Eccle-  
siæ internis mysterijs quasi in secretis sanctua-  
rij vacare debuerunt, ad hoc quippe sanctua-  
rij lapides siebant, vt intra sancta sanctorum  
in vestimento summi sacerdotis apparerent.  
Hæc Gregorius. Si ergo velis præclaros hos  
titulos cum re ipsa possidere , necesse est , vt  
labores in domo domini, vigiles super gregē  
dominicū,



dominicū, & facias vigiliā noctis, sicut de pastoribus Bethlemiticis dixit Lucas euangelista. Erant vigilantes & custodientes vigiliā noctis super gregem suum. In quā verba Theophilactus sic dicit. Pastores illi figura sunt spiritualium pastorum. Oportet igitur episcopos custodire gregem suum, & docere populū, & sic audire diuinās visiones & auditus, officium itaq; spiritualium pastorum fuerit, quārere paneām cōlestēm, quem cūm viderint, debent illū & alijs prædicare, sicut, & pastores, q̄ viderūt infantē, loquuti sunt, de eo, & alijs. Idem Grego. in Homil. Mysticē autem quōd vigilantibus pastoribus angelus apparet, eosq; claritas Dei circūfulfit, hoc est, quōd illi præ cæteris videre sublimia merentur: qui fidelibus gregibus præesse sollicitè sciunt, dumq; ipsi piè super gregem vigilāt, diuina super eos latiūs gratia coruscat. Idem Beda in Homilia. Liceat mihi, christiane lector, huic parti præsentis controvērsiæ eis verbis finem imponere, quibus veri episcopi descriptionē Hieronymus ad Oceanū absoluit. Obsecro, ne quis me in fugillationē istius temporis sacerdotū, scribere, quāe scribo, existimet: sed in Ecclesiæ vtilitatem, & euāgelicę doctrinę propugnationē. Ut enim oratores & philosophi, describentes qualem velint

velint esse perfectū oratorē & philosophū, non faciunt iniuriā Demostheni & Platoni, sed res ipsas absq; personis diffiniunt, sic in descriptiōe episcopi, & in eorū expositione, quāe scribo, quasi speculū sacerdotij proponit. Iā in potestate & cōscientia singulorū est, q̄les se ibi aspiciāt, vt vel dolere ad deformitatē, vel gaudere ad pulchritudinē possit.

CAP. VII. LEGIBVS CONCILIORUM generalium & prouincialium, comprebatur Pastorum Ecclesiæ necessaria residentia personalis.



EGISTI, Pater in Senndū Christo obseruandissimā genus arme, quid spiritus Chri- gumento sti in sanctis volumini- rum atra bus tradiderit nobis de ditiōe cō- præsenti controvērsiā, ciliorum lege nūc, quid sancti pa & Ponti- tres Ecclesiæ in sacrosanctis concilijs obser- ficum. uauerint. Illud tamē mihi præfandū est, non tantū voluisse me adducere, quāe ad residētiā pertinēt verbis apertis, sed etiā, quę ad difficultatē muneris episcopalis agūt, vt facile q̄s cōtemplare possit, vix hominē solertissimū etiā si vel pedē nunq̄ dimoueat, posse satif- cere



cere suo muneri, & primò profero Sardicēse concilium generale, & ab vniuersali Ecclesia receptum & probatum: cuius canon. 14. sic habet. Episcopus in aliena prouincia nō mo retur vltra tres dominicas, quia per id temp<sup>o</sup> ibidem non recipi, inhumanū est: & si diuti<sup>o</sup> resideat, perniciosum est: hoc ergo ne fiat, prouidendū est. Osius episcopus dixit. Memini autem superiore concilio fratres n̄ros constituisse, vt si quis laicus in ea, in qua cōmoratur ciuitate tres dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrasset conuentum, communione priuaretur. Si hæc ergo circa laicos cōstituta sunt, multo magis episcopo nec licet nec decet: si nulla sit tam gravis necessitas, quæ detineat, vt amplius à suprascripto tēpore absens sit ab Ecclesia sua. vniuersi dixerūt placere sibi. Simile quiddā statuerunt in canone. 18.

In canone. 8. eiusdem concilij Sardicensis habetur, vt episcopi etiam pro tuendis pauperibus, viduis, aut pupillis, quib<sup>o</sup> aliquæ illatæ fuerint iniuriæ, nullo modo ad comitatum, id est, ad curiam veniant, eò quod ex nimia frequentia accessus ad principum curias, obq; importunitates, & iniustas petitiones, gratiam & fiduciā corām principibus amiserint. Eò maximè, q; sub p̄textu suas defendendi Ecclesias, aliosq; protegēdi

protegendi iniuriā patiētes, dignitates, secularesq; postulent administrationes. Quā prauitatem (dicunt patres) olim non solū murmuratiōes, sed scādala excitasse dignoscitur.

Hoc idem habetur in canone. 10. eiusdem *Canō. 10.* concilij, vbi dicunt patres, quod accessus episcoporū ad principū curias, sine inuidia hominum, sineq; reprehensione esse nō potest. Et si propter prædictas honestasq; causas, talis profectus non nihil habere rationis posset. Quod maximè testaretur, si ob defendendos iniuria, & incommode affectos suscep-rint peregrinationis incommoda.

Quo circa in eodem cōcilio canone. 9. sta-*Canō. 9.* tuitur, ad obuiandū taliū episcoporū improbitati (sic habet textus) vt si quæ iuste emerferint cause, vt pro pauperibus, viduis, pupil lis tuendis, suū ipse diaconū ad curiā mittat episcop<sup>o</sup>, eò quod persona ministri inuidiosa non est, & quæ impetrāuerit, celerius poterit referre. Qui tamen diaconus cum literis demissorijs, & commendatitijs sui Metropolitæ curiam adire debet. Si tamen episcopus (à quo diaconus ad curiam destinatus est) nonnullos apud Imperatorem habeat amicos, quos scit benignā intercessionē sibi absenti posse prestare. Tūc si iusta esset postulatio, absq; Metropolitæ venia suū poterat

E episco-



episcopus mittere ad curiam Diaconum.

Quæ omnia, vt firma permanerent, in sequenti canone. II. hæc diffiniuntur.

Cap. I.

Ea, quæ salubriter premonita sunt, conuenientia & æstimatione omniū, & Deo placitura, & hominibus tenere hæc firmitatē possunt, si metus huic sententiæ coniungatur. Scimus enim & ipsi propter paucorū impudenteriam, religiosum sacerdotale nomē fuisse reprehensum. Si igitur aliquis, contra omniū sententiā nisus, voluerit ambitioni magis placere quam Deo, is debet scire causis redditis, honorē, dignitatemq; se amissurū. Quod ita demū compleri poterit, si vnusquisq; nr̄m, qui in canali cōstitutus est, cùm progredientem episcopū viderit, inquirat transitū eius, causas videat, quò tendat, agnoscat. Et si qui-

Aetabui<sup>9</sup>  
concili<sup>i</sup>  
sunt rece  
pta ab Ec  
clesia, &  
confirma  
ta.

dem eum inuenerit ire ad comitatū, requirat & illud: quod superiūs cōprehensum est, ne si forte inuitatus est, vt ei facultas eundi permittatur. Si verò propter desyderia & ambi-

tiones ad comiatū pergit, nec in literis eius scribatur, nec in communionem recipiatur.

Vniuersi dixerunt hoc honestū esse & placere sibi hanc constitutionē. Quid, obsecro, dixissent isti patres, si vidissent, vt nunc cum tanto Ecclesiæ malo videin<sup>9</sup>, perpetuò versantes episcopos in curia vel Cæsaris, vel Pō-

tificis,

tificis, & nec in Ecclesia sua, nec in aliena vllum Ecclesiasticum exercētes ministerium?

Deinde confirmat hanc veritatē can. 17. In Antiochi concilio Antiocheno, sic habens. Si quis epi scopus per manus impositionē episcopatu D. 92. Si acceperit, & præesse populo constitutus mi nisterium subire neglexerit, nec acquieuerit quis epis cop<sup>9</sup> pcr, ire ad Ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communione priuari. &c.

X

Quid putas dicturos patres eiusdem concilij Antiocheni, quando addiderunt legem, in hæc verba? Si quis episcopus, aut presbyter, aut quilibet regulæ ecclesiasticæ subiectus, præter concilium & literas episcoporū prouinciæ, & præcipue metropolitani, adierit imperatorē, reprobari & abijci oportere, non solū à communione, verū ab honore, cuius particeps videtur existere: quia venerandi principis auribus molestiā tentauit inferre contra leges Ecclesiæ. Si igitur adire principē necessaria causa depositit, hoc agatur cum tractatu, & cōfilio metropolitani, & cæterorū episcoporū, qui in eadē prouincia cōmorantur, qui etiā proficiscentē suis prosequātur epistolis. Hæc Synodus. Quid, inq, cēses dixissent, rogati, si deserta Ecclesia liceret episcopo in aula Cæsaris ppetuò manere, occupat<sup>9</sup> in reb<sup>9</sup> & negocijs, nec per somniū

E 2 ad Ec-



*Cap. VII. De necess. residētia*

ad Ecclesiam pertinentibus, sed ciuilibus, & quæ minimè decet Dei sacerdotes tractare? Quid illi p̄es dixissēt, facilē quis diuinabit.

**6. Synodus.** Tertiō, idem tractauerūt patres sextæ Synodi generalis, qui talem ædiderūt canonē. Episcopi omnibus diebus præcipue Dominicis, docere populum debent.

**Canō. 18.** Item canon. 18. eiusdem sextæ Synodi, sic habet. Clericus, qui propter barbaricā incurſionē, vel aliquo alio modo, reliquit suā Ecclesiam, cessante hac circūstātia propter quā secessit, redeat statim ad Ecclesiam.

Sed & multò expressius probatur sententia nostra ex canone. 80. prædictę sextæ Synodi generalis, vbi sic habetur. Si quis episcopus, veleorum, qui in clero censemur, vel laicus nullam grauiorem habeat necessitatē, vel negotium difficile, vt à sua Ecclesia absit frequentiùs, sed in ciuitate agens, tribus diebus dominicis vna non cōueniat, si clericus est, deponatur: si laicus, à cōmunione separatur. Obserua, lector, quā seuerè cauetur absentia episcoporū ab Ecclesijs suis, vel p̄ tres tantū dominicas. At nunc miseræ oues, per hebdomadas, nō dierum, sed annorum computant absentiam suorum pastorum.

**Synodus** Quartò, est cōsiderādus canō .7. concilij Chalcedo gñalis Chalcedoneñ. Qui in hūc modū hēt,  
Eos,

*Episco. & alio. mini. Ecclesia.*

35

Eos, qui semel in clero taxati fuerint, siue *nēsis. 20.* in monasterio deputati, decreuimus nec ad q.3. Eos militiā, nec ad honores seculares venire. Qui *qui.* contrà fecerint, anathematizentur. Mens Synodi, meo quidem iudicio fuit, cauere, vt ministri ecclesiastici, non se implicarent negotijs secularibus, sicut phibuerat Paulus apostolus. Quoniam non est possibile, vt quis vtrumq; munus ritè possit obire, ecclesiasticum & seculare, spirituale & mundanū. Quo circa non est audiēda glossa in volumine decretorum. 20. quēstiōe tertia. Eos, qui semel, quæ dicit honores seculares esse, in quibus exercetur iudicium sanguinis: aſtruens alijs posse honestē & licitē implicari clericos & episcopos. Perspicuum est cauisse Synodum trāſitum ad honores seculares, quoniam necesse erat eos manere in Ecclesijs suis, & ibi dem propria munera exercere.

Item quintò, est canon. 17. concilij Romani celebrati tempore Sylvestri pape, preſente Constantino imperatore, habens in hunc modum. Nemo enim clericus, vel diaconus, aut presbyter, propter causam suam quamlibet, intret in curiam, quoniam omnis curia à crurore dicitur, & immolatio simulachrorū est. Quoniam si quis clericus in curiam introicerit, anathema fuscipiat.

E 3 Rogo



Rogo te, christiane lector, an nō tibi vidētur sancti illi viri diuinasse omnem pestē statutus ecclesiastici emanaturam à curijs principum secularium, & ab vrbe Roma? Qui tanta solicitudine curarunt, vt episcopi in suis essent Ecclesijs, & longè abessent curijs principum secularium?

**Synodus** Itē sextō, in synodo illa celebrata sub *sub Caro* rolo magno tempore Zachariæ Papæ, cuius *lo magno* mandato congregata fuit Synodus, in canone. 2. habetur. quod presbyteri in quadragesima, rationē & ordinē ministerij sui, puta de baptismo, de fide catholica, de precibus, & ordine missarū, episcopo reddant, & ostendant, & ipsi etiam episcopo testis assistat castitatis, & vite, & fidei, & doctrinæ illius. Hęc synodus. Quę quidem impossibile est adimpleri, si episcopus ipse vel parochus, ab episcopatu vel parochia absentes sint. Sed dices, minimè. Immo rationem ministerij sui mercenario presbyter, mercenari⁹ episcopo quadragesimæ tēpore reddere poterit. Quod sanè expressè contra canonis mentē est. Sed tamen hoc concessio, vltiū stare non potest. Nā si episcop⁹ in curia Romana Cæsareāue degat, quomodo, obsecro, parochus, qui in dioecesi manet, vel è diuerso, testis castitatis, vite, fidei, & doctrinæ sui epi esse poterit? nō ergo

ergo putet aliq's, q̄ sit possibile impleri officiū pastorale, sine presentia corpali pastoris.

Item septimò, etiam septima synodus ge- *Septima*  
neralis in canone. 15. hęc definiuit. *synod⁹ ge*

Clericus ab hoc deinceps tēpore in dua- *nralis.*  
bus Ecclesijs non collocetur: hoc enī est ne- 21. q. 1.  
gotiationis & turpis lucri proprium; & ab *Clericus.*  
Ecclesiastica consuetudine alienum. Ab ipsa  
enim Dñi voce audiuimus, non posse quenq̄  
duobus dominis seruire, aut vnum amplectē  
tur, & alterum negliget. Vnusquisq; ergo (vt 1. Cor. 7.  
vox est apostolica) in eo, in quo vocatus est,  
debet manere, & in vna Ecclesia assidere. Quę  
enim propter turpe lucrū fiunt in ecclesiasti-  
cis negotijs, ea à Deo sunt aliena. Ad huius  
autem vitæ vsum sunt diuersa studia. Ex his  
ergo, si qs velit ea, quę sunt corpori ad vsum  
necessaria, comparet, Dixit Apostolus. Vsui *Aet. 20.*  
meo, & his, qui mecum sunt, subministraue-  
runt manus meæ. Quid responsuros putam⁹  
sanctos illos patres istis, qui queruntur, non  
posse se simplicib⁹ beneficijs viuere, sed cen-  
tumplices quærunt? Nimirum illud Bernar-  
di: non futuros illos simplices in supplicijs:  
sed tamen si residentia non est necessaria, nō  
video, cur non vnu centū habere possit Ec-  
clesias, quas nunquam est aditus.

Itē octauo, in octaua synodo generali que *octaua sy*

E 4 sequitur



*nodus ge sequuntur, diffinierunt patres. In can. 17. Sic neralis. habetur. Quoniā sunt quidā episcoporū, qui Canō. 17. ne secundū vocationem Apostolici præfulis occurrant, se mundi principibus impeditos causantur. Placuit talem excusationē omni modo esse inualidam. Impiū est, vt summos præfules ad Synodos pro ecclesiasticis negotijs celebrandas, impedianc seculares principes, licet tale impedimentū, & fictam prohibitionem, episcoporum suggestione diuersis modis fieri didiscerimus. Hęc Synodus. An non tibi videntur loqui de Synodo Tridentina tam infrequenti, in tanta copia episcoporū, quos pauperes alunt suis sudoribus, & nunc in rerū maxima turbatione, quādo mūdus præcipuo iure, eorum indiget opera, vt si nō in integrū, saltē in aliquā partē res perditæ restituātur, oēs dormiūt, oēs surdi sunt, sed de hac re ali⁹ dabitur opportunior loc⁹.*

*Canō. 19. Item canon. 19. eiusdem Synodi, sic habet. Definiuit sancta hęc, & vniuersalis Synod⁹, nullum archiepiscoporum, aut Metropolitanorum relinquere propriā Ecclesiam, & sub occasione quasi visitationis ad alias accedere, & consumere redditus, qui apud illos inueniūtur ad Ecclesiasticā dispositionē, & aliena pauperū. Qui contrā fecerit, deponatur, & sequestretur vt sacrilegus.*

Vltimò,

*Vltimò, est canon. 24. In eodem Concilio Ca. 24. qui sic habet, diuina scriptura dicente. Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Quidā Metropolitanorū extrema negligētia, & desidia delapsi, præceptionibus suis subiectos ad se adducunt Episcopos, & committunt eis Ecclesiae propriæ diuina officia & lętanias, & cuncta omnino sacra, quæ ad se pertinent mysteria, vt per illos celebrent omnia, quæ per semetipſos alacriter agere debuerunt, ac per id eos, qui episcopalē dignitatē meruerunt, quodammodo clericos sibi subiectos exhibeant. Vacant ijdem, præter ecclesiasticas leges, secularibus curis atq; dispositionibus, demittentes perseuerare in orationibus, & obsecrationibus pro suis delictis, ac populi ignorantij, quod nusquam apud aliquos penitus inuenitur, cùm sit canonicus, nimirum, cōtrarium omnino præceptis. Hęc autē omnia magnis, & multis ac vehementissimis damnatiōibus dignos huiusmodi statuūt. Probatur enim tales per hęc, quę faciūt etiā Sathanica iactantia, & superbia languere. Quisquis ergo Metropolitanorū post hanc sanctę & vniuersalis Synodi defensionem eadem audacia, vel superbia, & cōtemptu abusus nō per se cū timore, & alacritate, seu cōscientia bona, debita ministeria*

E 5 in pro-



in propria ciuitate, sed per suffraganeos episcopos suos efficere tentauerit, poenas exoluat coram proprio Patriarcha, & aut corrigitur, aut deponatur: hæc synodus. Sed ego sum egregiè inceptus, qui cum sacra scriptura hoc vnum præcipiat, cōcilia nihil aliud sanctiant, sacri doctores ad hoc vnu exhortētur, velim nunc omnia in vnum cōgerere, quasi nunc potius sint episcopi Christo obsecuturi. Vt cunq; tamen hoc cesserit, iuuabit me nullum non mouisse lapidem, vt ob oculos hoc libello illis posuissē ad quid teneantur, ne causari possint, nihil de residentia præcipi. Sed ad alia transeamus.

- Synodus Carthagi* Audi nūc, pater obseruantissime, quid in Africa obseruauerint, & legibus fancierint Ecclesiæ Carthaginæ. vt in omnibus orbis partibus incognitam, & ignoratā intelligas nouā hanc opinionē. Canon. 6. conc. Carthaginensis primi. Nicasius episcopus Culonitus dixit, credo placere suggestionē meā sanctitati vestræ, & displicere vobis, vt qui seruiunt deo, & annexi sunt clero, nunc accedāt ad actus seu administrationem, vel procurationē domorū. Gratus episcopus dixit. Et apostolorū statuta sunt quæ dicunt. Nemo militans deo ingerit se negocijs secularibus. Proinde aut clerici sint sine actionibus domo-
- ii. q. 3. Credo.*
- 2. Tim. 2.*

domorum, aut actores sine officio clericorū. Vniuersi dixerunt, hoc obseruemus. Nunc verò cōtrarium putant nostri episcopi præceptū à sacra scriptura, ita omnes aliena curant & sua negligunt.

Item in eodem concilio cano. 8. Cauetur, *Canon. 8* ne implicati negocijs secularibus ordinentur clerici.

Item canon primus concilij Carthaginensis quarti sic habet. Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur si natura sit prudens, si docilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper suis negocijs cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus exercitatus, & ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est, patrem, & filium, & spiritū sanctū. &c. Quærendū etiā ab eo, si noui & veteris testamenti, id est, legis & prophetarū, & apostolorū vnum cundemq; credat auctorē, & deū. Si diabolus nō per conditionē, sed per arbitriū factus sit malus hactenus synodus. An hæc omnia nunc postulentur à futuro episcopo his nostris perditis temporibus, & an illis hæc requirerēt, vt post ociaretur in curijs, & aulis principū Christianus lector poterit expendere.

Item



**Ca. 14.** Item in eodem Concilio. Can. 14. Sic habetur. Episcopus non longè ab Ecclesia hospitium habeat.

**D. 41. Epi** net, vt episcopus vilem supellestilem, & menscopus vi sam ac vietum pauperē habeat, & dignitatis leñ. suæ autoritatē fide, & vitæ meritis querat.

**D. 88. cpi** Item in Canone. 17. eiusdē Concilij hæc habentur verba. Episcopus gubernationē viduarū, pupillorū, ac peregrinorū nō per se ipsum, sed per archipresbyterū aut archidiaconum agat. Si hæc tam sancta iubetur per alium negociarī ne episcopus ab Ecclesia discedat, quid censes illos facturos si audirent quæ nunc allegātur, vt Romæ episcopi perpetuo versentur: ne vilescat scilicet curia pontificis, ne desint cardinalibus anteambulones? ò tempora, ò mores.

**Can. 17.** Item Canon sequens in eodem Concilio sic habet. Episcopus tuitionem testamento rum non suscipiat.

**Epi**scopus Item Canon. 19. eiusdē Concilij. Episcopus nō prouocatus pro rebus transitorijs, nō litiget. Item Canon vigesimus ibidē, Episcopus nullā rei familiaris curā ad se reuocet, sed vt lectioni & orationi, & verbi dei prædicatio ni tantummodo vacet: hæc Canō. Quid nūc iubēt, qui episcopos abesse volūt à suis Ecclesijs,

sijs, vt hæc omnia somniū arbitrētur, & quæ rāt mundi negotia, & alia quæ pudet dicere?

Item Canon. 31. eiusdē Concilij Carthaginēnē. episcopus rebus Ecclesiæ tanquam cō mendatis, non tanquam proprijs vtatur.

Item Canon. 33. eiusdē Concilij. Episcopi vel presbyteri si causa visendæ Ecclesiæ alterius episcopi ad Ecclesiam venerint, & in gradu suo suscipiantur, & tam ad verbū faciendum, quām ad oblationem consecrandam inuitentur.

Item Canō. 5. In Concilio Carthaginēnē. 7. q. 1, sic habet. Nulli episcopo sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquā Ecclesiam in diœcesi cōstitutam se conferre, vel in re propria diutius quām oportet, cōstitutum, curā, vel frequentationē propriæ cathedræ negligere. Penes te sit, lector, in hac causa iudiciū, si ad aliam Ecclesiam, deserta propria nō licet accedere, licebit per regiones separatas, & principum aulas versari?

Veniamus nunc ad Ecclesiā Hispaniarū, Synodus quæ olim Toleti ad extirpandā hæresim Arrianam & statuendam Christianæ legis obseruantiam non infreuenter cogebantur.

Et primò hæc nostrā sententiā summope re iuuant patres secundi Concilij Toletani, le. cap. 2. qui in Canone secundo post alia docēt, quomodo



modo necesse sit episcopum prædicare, & ab alijs curis cessare, ne quos sub regiminis cura tueretur, fame verbi Dei perire sinat.

**Can. 24.** Deinde est concilio Toletano. 4. Can. 24.  
In hac forma verborum.

**D. 38. Ig-** Ignorantia mater cunctorū errorū maximorantia. mē in sacerdotibus Dei euitanda est, qui officium docendi, in populo dei suscepereunt, sacerdotes enim legere sanctas scripturas fre-

**I. Tim. 4.** quenter admonet Paulus, dicens ad Timot. Attende lectioni & exhortationi. Sciāt ergo sacerdotes scripturas sanctas, & canones meditentur. Omne opus eorū in prædicatione diuina & doctrina consistat atq; ædificant cunctos tam fidei scientia quam operū disciplina. Hæc omnia sanctissimè quidem constituta eadem facilitate qua laudantur cōtempnuntur, & ad solos mercenarios deriuantur.

**Can. 31.** Item Canon. 31. eiusdem Concilij.

Episcopi (quibus hæc cura à deo imposta est) dum cōspiciunt iudices, ac potentes, pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant: & si cōtempserint emendari, eorū insolentiā regis auribus intiment, vt quos sacerdotalis admonitio non flectit ad iustitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat. Si quis episcoporū id neglexerit, concilio erit reus.

Item

Item Canon. 32. eiusdem Cōciliij. Auaritia radix est cunctorū malorū, cuius sitis etiam sacerdotum mentes obtinet, ideo constitutum est à presenti concilio suas episcopos dioceses ita regere vt nihil ex earū iure presumant auferre. Sed iuxta priorum autoritatē conciliorum tam de oblationibus quam de decimis, tributis, ac frugibus tertiarā cōsequātur: ut concessa à fidelibus in Christi & martyrum honorē, ipsorum episcoporum parochijs, intacta maneat. Item can. 35. in eodē concilio. Episcopos per cunctas dioceses parochiasq; suas per singulos annos ire oportet, vt exquirat quo vnaquęq; basilica in reparacione sui indigeat. Quod si ipse aut languore, aut alijs occupatiōibus implicatus id explere nequierit, presbyteros probabiles, aut diaconos mittat, qui & redditus basilicarū & reparations, & ministrantiū vitā inquirat. Hæc synodus. Quam audiē accepturi sunt huius canonis occasiōē, qui sibi viuere capiunt ex alienis sudoribus. Sed nō est cur sibi blandiantur, hic iubentur peregrinari, sed intra episcopatum, & in hac re admittitur procurator, dum tamen ipse impeditus sit, nō absentia in curijs, & aulis, sed morbo.

Postremò, munus episcoporum quale sit do cent patres in cōcilio Toletano. II. cōgregati, II. Synodi

qui

**Tit. I.** qui in Canone secundo in hunc modū illud describūt. Quantū qui prēcelsi culminis obtinet locū, tantū necesse est prēcedat cæteros gratia meritorū vt in eo, q̄ præsidet singulis, singulariter ornetur eminētia sanctitatis, habens semper & in ore gladium veritatis & in opere efficaciam luminis, vt iuxta Paulum potens sit exhortari in doctrina fana, & contradicentes reuincere.

Nos proinde nostri ordinis gradū, vel suscepiti regiminis modū magnopere cogitare debemus, vt qui officiū prædicationis suscepimus, nullis curis à diuina lectione priuemur. Nam quorundā mentes pontificū ita corporis ocio à lectionis gratia secluduntur, vt quid doctrinę gregib⁹ subditis exhibeat, nō inueniat prēco mutus: insistendum ergo erit maioribus, vt quos sub regiminis cura tuerintur, fame verbi dei perire nō finant: hæc synodus. Vide quā sollicitè cōmendetur prædicatio verbi & q̄ censeatur necessaria, quæ si iuxta doctrinam Pauli reponenda est loco alimentorū corporalium, cui dubium futurum est, residendum esse in suis Ecclesijs?

**Synodus libertina** Item est Canon. 19. Synodi Elibertinę, qui nostram confirmat sententiam habens in hunc modum.

Episcopi, presbyteri, & diaconi de locis suis

suis negotiandi causa nō discedāt: nec circū- euntes prouincias, quæstuosas nundinas se- etentur, sanè ad vietū sibi conquirendū aut filiū, aut libertū, aut mercenariū, aut amicū, aut quemlibet mittāt. Vides præcipi omnia potius experienda quām abesse à proprijs Ecclesijs. Quod si priuatis clericis ita est interdictum, quid censendum de episcopis?

Item est canon. 39. concilij Agathensis ha- **Synodus Agathensis**  
bens in hunc modum.

Siquis diaconus vel presbyter per tres 7.q.i.  
hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, trien- **Siquis.**  
nio à cōmunione suspendatur. Si quis autē in clero cōstitutus ab Ecclesia sua diebus so- lennibus defuerit, id est, nativitate Domini, Epiphania, Pascha vel Pentecoste, dum potius singularibus lucris studet, q̄ seruitio dei parere, conuenit vt eidē dānationi succūbat.

Item canon. 38. eiusdem synodi. **Canō. 38.**

Ciues, qui superiorū solennitatū, id est, Pa- **cīusdem**  
schę, ac natalis Domini, vel Pentecostes festi- **synodi.**  
uitatibus cū episcopis interesse neglexerint,  
cū in ciuitatibus cōmunionis, vel benedictio-  
nis accipiendę causa positos se nosse debeāt,  
triennio cōmunione priuentur Ecclesiæ.

Itē canō. 7. synodi Tarraconeñ. sic habet. **Synodus**

Episcopi annuatim dioceſim visitent, & **Tarraco-**  
**basilicas** destitutas restituant, &c. **neñ. 10. q.**

F Item



**i. decreui-** Item in synodo Aurelatensi in canone sexto hoc statuitur à patribus.

**Synodus Aurela-** Episcopus pauperibus, & infirmis qui debilitate faciente, non possunt suis manibus laborare, viatum & vestitum in quantū possibilitas habuerit, largiatur.

**D. 82. epis-** Item in eadem synodo canon. 13. sic habet.

**copus.** Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus, Ecclesiæ, cui proximus fuerit, die domino deesse non debet.

**Synodus Magun-** Item canon. 10. concilij Maguntiaci vitam sacerdotum in hunc modum describit.

**tiaca.** Placuit sancto concilio, vt qui dicunt seculū reliquisse, & qui adhuc seculū sectantur ita discernantur, sicut in regula clericorū dictū est: his igitur lege patrū cauetur, vt vulgarī vita seclusi à mundi voluptatibus sese abstineant, nō spectaculis, nō pompis interficiant, cōuiuia inhonesta, turpia fugiant. Hiero. ad Nepotianū dicit. Omniū christianorū domns quasi proprias amare debemus, vt cō solatores nos in mœroribus suis potius q̄ cō uiuas in prosperis nouerint. Et Isidorus. Clerici tamē cōuiuia priuata, nō tantum pudica sed & sobria colant, turpiū lucrorū occupationes nō appetāt: amore pecunię quasi matrē cunctorū criminū fugiāt: secularia officia negociaq; abiciāt, honorū gradus per ambitionē

tionē nō subeāt. Non vagis oculis, nō infrēni lingua aut petulāti tumidoq; gestu incedāt, sed pudorē, ac verecundiā mētis simplici habitu, & incessu ostendāt, obscoenitatē etiam verborū sicut & operū penitus execrentur, viduarū ac virginū visitationes frequentissimas fugiant, cōtubernia fœminarū, nullatenus appetant. Castimoniā quoq; in uiolati corporis perpetuo cōseruare studeāt. Senioribus quoq; debitā p̄r̄beāt obedientiā. Nec villo iactantiæ studio se attollant. Postremò, in doctrina, & lectionibus, psalmis & hymnis, & canticis exercitio iugi incumbāt. Tales enim debent esse, qui diuinis cultibus se mancipando student exhibere, scilicet vt dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiā populis administrent.

Item canon. 25. eiusdem synodi.

De officio prædicationis si forte episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut aliqua causa exigente, non valuerit, nunquam tamē desit diebus dominicis: aut festiuitatibus qui verbum Dei prædicet, & iuxta quod intelligere vulgus potest.

Item in Concilio Rhemensi sub Leone. 3. **Synodus** cōgregato in canone. 14. quod sequitur sta-  
tuitur.

Episcopi diligentius operam dent, lectio-  
niq;

Canon. 25

Diebus fe  
stis nun-

quā desit

prædica-

tio verbi

Dei in Ec

clesia.



*Cap. VII. De necess. residentia*

niq; diuinæ incumbant, id est, canonicis libris & opusculis patrum, & verbum dei omnibus prædicent.

**Canon. II** Item in eodem in canon. 15. sequenti sic habetur. Episcopi, sermones, & homiliae sanctorū patrum prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem linguae prædicare studeant.

**Canō. 17.** Est & alius canō eiusdem synodi. 17. episcopi. Etabbes ante se ioca turpia facere nō permittant, sed pauperes, & indigentes secū ad mensam habeant & lectio diuina ibi personet. Et sumant cibum cum benedictione, & laude Domini secundum Apostolum, siue manducent siue bibant, omnia in laudem dei faciant.

**Synodus Triburieñ.** Item in synodo Triburieñ. canon. 27. sic habet. Semel in clero deputati, nec ad militiam nec ad aliquam veniant dignitatē mun-

**Cap. 7. con.chal.** danain ut in synodo Chalcedonensi statutū est, ne tales sint, sicut sanctus Isidorus dixit, esse similes hippocētauris, qui nec equi, nec homines, sed quasi bruta animalia libertate ac desiderio suo feruntur.

**Canones apostolici** Item sunt & canones apostolorū, qui nō vulgariter cōfirmant & hanc nostrā sententiam, primo est canon septimus sic habens.

Ep̄us aut presbyter, aut diaconus nequaq; secu-

*Episco. & alio. mini. Ecclesie.*

43

seculares curas adsumant: si autē ejciantur.

Item & canon. 57. sic habet.

*Canō. 57*

Episcopus aut presbyter qui negligētius circa clerum aut populū agit, nec in pietate eos erudit, à cōmunione segregator. Si verò in ea socordia perseuerauerit, deponitor.

Item est etiā can. Apost. 80. In hunc modū habens. Dicimus q̄ non oportet episcopum aut presbyterū publicis administrationibus se immittere, sed vacare, & cōmodum se exhibere v̄sibus ecclesiasticis. Animū igitur inducito hoc non facere, aut deponitor. Nemo enim potest duobus dominis seruire, iuxta præceptum dominicum.

*Math. 6.*

Quibus obsecro legibus, aut decretis manifestius agere potuissent Apostoli contra pastores à suis gregibus absentes, & sui ministerij neglectores?

Vniuersos canones veterū synodorum, qui hanc veritatē vel astruūt, vel adiuuāt in presentia recēdere foret penē infinitū. Ideo cōsultō, ne lectorē amplius grauaremus, abstinimus ab aliarū synodorum enumeratione: satis superq; ex suprascriptis explicatā habet lector synodorum sententiā, si velit illam tenere. Veniamus nūc ad ea, quę ijdē patres in proprijs scriptis non sine afflato spiritus sancti nobis de presenti controuersia tradiderunt.

F 3 CAP.



CAP. VIII. SVMMORVM PONTIFI-  
cum doctrina & decretis, episcoporum resi-  
dentia necessaria conuincitur.



V D I nunc quid Eccle-  
siæ catholicæ pōtifices,  
qui citatis cōcilijs autho-  
ritatē & robur dederūt,  
decreuerint circa hāc ve-  
ritatē, quam explicam⁹  
& demonstramus.

**Gregori⁹** Gregorius cognomento magnus, sanctus  
& Papa in libro Pasto. quanta eruditione, &  
pietate cōtendit prēdictā veritatē demōstra-  
re, quod & fecisse cū oīm legentiū admiratio-  
ne, nemo nō nouit: hic parte. 2. ca. 3. post alia  
multa, quę de officio ep̄ali docet sic habet.

Sit rector operatione prēcipiuus, vt vitæ  
viā subditis viuēdo denūciet, & grex, qui pa-  
storis vocē moresq; sequitur, per exēpla me-  
lius q̄ per verba gradiatur: qui enim loci sui  
necessitate exigitur summa dicere, hac eadē  
necessitate cōpellitur summa mōstrarē: illa  
vox nāq; libentius auditorū corda penetrat  
q̄ dicentis vita cōmendat, quia dum quod lo-  
quendo imperat, ostendēdo adiuuat, vt fiat.  
Hinc enim per prophetā dicitur: Super mō-  
tem excelsum ascēde tu qui euāgelizas Sion.

Ideim

Idem cap. sequenti exponēs prædicta ver-  
ba Esaiæ sic habet.

Prēconis quippe officiū suscipit, quisquis *Omnis pa-*  
*ad sacerdotiū accedit, vt ante aduētū iudicis stor ecclē*  
*qui terribiliter sequitur, ipse scilicet claman siasticus,*  
*do gradiatur. Sacerdos ergo si prēdicationis ex officio*  
*est nescius, quam clamoris vocem daturus est verbi*  
*est præco mutus? Hinc est enim quòd super dei prædi-*  
*pastores primo in linguarum specie spiritus cator.*  
*sanc̄tus insedit, quia nimirum, quos repleue-*  
*rit, de se protinus loquentes facit.*

Idem vbi supra.c.10.docet, quanto studio  
pastor inuigilare debet super populum suū,  
quāta attentione subditorū ingenia obser-  
uare debeat, vt interdū eorundē vitia prudē-  
ter dissimulanda sint & cautē indicanda, in-  
terdū apertē cognita, mature toleranda, in-  
terdū salubriter & occultē perscrutanda, in-  
terdū leniter arguēda, interdū vehemēter in-  
crepanda. Quę oīa latissimē explicat idē au-  
thor. 3. parte eiusdē libri, vt ex illis qui libet  
cōsiderare & colligere valeat difficultatē mu-  
neris episcopalis & dicere cum veritate ipsa.  
Quisputas est fidelis dispensator & prudēs, *Luc. 7.*  
quem constituit Dominus super familiā suā  
vt det illis in tempore tritici mensuram?

Idē li. 5. epist. 37. ad Antheniū subdiaconū. *7. q. 1. Per*  
Peruenit ad nos Pigmeniū Amalphicanæ *uenit.*

F 4 ciui-



ciuitatis episcopū in Ecclesia sua residere nō esse cōtentū, sed foris per diuersa loca vagari: quod vidētes alij, nec ipsi in castro se retinēt, sed ipsius exemplū sequētes foris magis eligunt habitare. Idcirco hac tibi authori-  
**In Mon.** *reclūded'* **episcopus** *si admoni-* **tate p̄cipimus**, vt supradicto episcopo in-  
*tus reside-* terminari nō desinas, quatenus hoc de cete-  
*re negli-* ro facere nō p̄fsumat, sed in Ecclesia sua sa-  
*gat.* cerdotali more resideat, quē si forte nō emen-  
dari post tuā imterminationē cognoueris, in  
monasterio eum deputare, & nobis curabis  
modis oībus indicare, vt quid facere debeas,  
nostra iterum p̄ceptione cognoscas.

**d.63.quia** Itē lib.4. epist.15. summopere cōmendat,  
vt episcopi exhibeāt in opere, quod designāt  
in noīe, quia nomen pastoris non ad quietē  
sed ad laborem susceperunt. &c. Quē certum  
est eos absentes p̄stare non posse.

Item libro.8.epistola.ii.

**D.88.Per** Perlatū ad nos est. R.f.nostrū Basiliū ep̄m  
*latum.* velut vnū de laicis in causis secularibus occu-  
**Quod nō** pari, & p̄toria inutiliter obsēruare. Quē res,  
*deceat epi-* qm̄ & ipsum vilē reddit, & reuerētiā sacerdo-  
*scopū in* talē annihilat, statim vt reuerētia tua hoc p̄  
*causis se-* ceptū susceperit, eū ita ad reuertēdū districta-  
*cularibus* executiōe cōpellat, quaten⁹ ei illic te insistē-  
*occupari.* te, quinq; dieb⁹ sub qualibet excusatiōe im-  
morari nō liceat, ne si quolibet modo eū ibi-  
dem

dem morā habere permiseris, cum ipso apud  
nos grauiter incipias esse culpabilis.

Item libro.2.epist.31.in qua Gregorius cu-  
*16.q.1. Et*  
manam & Musitanā Ecclesiās præcipit esse tēporis.  
vnitas propter vicinitatem locorum, & po-  
pulos parum frequentes, vt non conueniat *Quo casu*  
singulos, sicut oīm, habere sacerdotes pro- *interdum*  
prios. Post alia præcipit nouo episcopo. Vbi *expeditat*  
verò commodius atq; vtilius esse prospexe- *duas Ec-*  
ris, ibi habitato, ita sanē, vt alteram Ecclesiā, *cēsias cf-*  
*cui corporaliter presens non es, solicita pro- se sub v-*  
*uidentiq; cura disponas. &c.* Quibus verbis *no episco*  
supponebat veluti certum, quōd *episcopus po-*  
*corporaliter in sua Ecclesia futurus erat, &*  
*in lucrādis, & curādis animabus, perpetuō*  
*laboraturus, cūm statim subdat. Fraternitas*  
*tua tanto in adhortatione populi, lucrādisq;*  
*animabus, solicitiori cura semper inuigilet,*  
*quanto se vñitarum Ecclesiarum guberna-*  
*tionis onera suscepisse cognoscit. Hæc Gre-*  
*gorius ille verè magnus Ecclesiæ latinæ &*  
*doctor & pastot, quæ recensui, vti ex his in-*  
*telligat lector, quā ignoratum erat ante hāc*  
*etatem, episcopum siue pastorem alium ec-*  
*clesiasticum absentē à grege suo, posse pro-*  
*prio officio satissacere, quod nec nunc arbi-*  
*tror ab aliquo esse intellectū. Sed qui absunt*  
*volentes & scientes rei impossibilitatem, ma-*



Iunt magis abesse & in delicijs agere, q̄ præsentes fastidia muneris pastoralis deuorare.

**Ex Epistola Euaristi Papæ.**

Episcopum verò oportet opportunè, atq; sine intermissione Ecclesiā suā docere, eamq; prudenter regere & amare, vt à vitijs se abstineat, & salute in consequi possit æternam.

**Hist. Tri trum & Gregorij. xi. factū, & Valentiniani par. lib. 3 cap. 8.** Christiani Imperatoris iudiciū. Hic (vt fertur in historia tripartita) instante electione

Episcopi Mediolanensis, sic plebem & clerū Valentinia est alloquutus. Nostis apertè, eruditī vtiq; nus Impe diuinis eloquijs, qualem oporteat esse Ponorator. tificē, & q̄ non deceat eū verbo solū, sed etiā vita gubernare subiectos, & toti⁹ semetipsū imitatore virtutis ostendere, testēq; doctrinæ conuersationē bonam habere. Talem itaq; in pontificali constituite sede, cui & nos, qui gubernamus imperium, sincerè nostra capita summittamus, & ei⁹ monita, dum tanq; homines deliquerimus, necessariò veluti curantis medicamenta suscipiamus. Hæc Cæsar.

**Grego. ii papa.** Ille verò Romam ex Gallia transtulit pōtificiam sedem motus ex verbis cuiusdam Episcopi, qui interrogatus à Pontifice (dum simul inambularēt) cur nō rediret ad Ecclesiam suam, quā malū erat illam sine pastore nudam

nudam relinquī. Cur, inquit, tu summe Pontifex, cæteris exemplum daturus, tuum episcopatum non repetis? Quæ verba adeò eum commouerunt, vt eis auditis continuò decreuerit ex Aquinione Romam migrare, quod & fecit. Hæc duo in medium adduxi, vt videat Christianus lector, quod semper ab exordio Ecclesiæ fuerit communis animi conceptio inter fideles cuiusvis ordinis, Pastores ecclesiasticos, maximè omnium episcopos, præsentes esse debere in suis Ecclesijs.

Deinde etiam cōfirmatur hæc veritas nō Regula nullis regulis, quas iuris appellant **Canonis. inris. stæ & iurisperiti.**

Primò, dicit lex. C. de cadu. tollen. non est ferendus, qui lucrum amplectitur, onus autem subire recusat.

Hinc regula iuris. Qui sentit onus, sentire debet & commodum, & è contrà, qui nō sentit onus, non sentiat & commodum.

Est & alia desūpta ex Gregorio in registro

Non potest esse pastoris excusatio, si lupi oues comedit, & pastor nescit. Quæ regulæ satis apertè ostendūt, q̄ vniuersa iura ciuilia & canonica dānant absentes Pastores & presentes ociosos, qui cū reportēt suorū officiorum cōmoda, nec velint nec possint absentes sentire eorundem officiorum munera.

Præterea



Præterea alia etiam via probatur hæc nostra sententia.

**Argumē-** Nam hoc visa est tenere ab initio Ecclesia tū ab vſu Romana, quæ caput est reliquarum Ecclesia Ecclesiæ rum, & leges tulit Christi fidelibus. Ea autē Romane. vſa est ab initio, & nunc etiā vtitur, vt si quādo contingat assumi aliquem episcopum ad officium Cardinalatus, absoluatur à vinculo, quo tenebatur Ecclesiæ suę. Ratio est, quoniam Cardinalis ex officio tenetur manere Romæ. Si verò episcopus non teneretur manere in Ecclesia sua, non erat absoluēdus, sed cum vinculo Ecclesiæ suæ erat assumendus ad officium Cardinalis, quod tamen non fit, ne ad duo incomparabilia assumatur simul eadem persona, vt patet ex ceremoniali Roma. Sect. 8. c. i. Vbi forma creandi Cardinalem sic habet. N. episcopū Firmanum absolvimus ab vinculo, quo tenebatur Ecclesiæ suæ firmanensi, & ipsum assumimus in sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterū Cardinalem. Ergo signum est certum, quòd episcop⁹ tenetur manere in Ecclesia sua.

Confirmatur ex vſu eiusdē Ecclesiæ, quoniam assumpto aliquo Ecclesiæ ministro, ad Cardinalatum censentur vacare omnia beneficia, quę habebat ante assumptionē: quare Pontifex solet cum illis dispensare in retētione

tione beneficiorū, vt patet ex eodē cérimo. Sect. 8. c. 9. vbi sic habetur. Et quoniam in assumptione ad Cardinalatū censentur omnia beneficia promoti vacare, consuevit pōtifex per literas apostolicas ad partem dispēfare cum promoto, vt omnia beneficia, quæ obtinebat, retineat, & decernere illa non vacare, si secundū iura effet composibilis Cardinalatus cum alio ministerio ecclesiastico, non opus haberet dispensatione.

Secundò confirmatur, quoniam si cōtingat q̄ Cardinalis aliquis eligatur episcop⁹ secundum iura cano. non erat confirmāda eius elec̄tio, sed infirmāda & extinguēda, siquidem manere debeat Romę ex munere Cardinalatus: nam si relicta Roma, suæ velit præsens adesse Ecclesiæ, non est cur dubitemus, quin possit episcop⁹ creari q̄ est cardinalis: vtrūq; patet ex c. bonæ. de postu. prælat. quo. c. postu. est ad curā pastoralē Cardinalis quidam, & extinguitur ei⁹ postulatio, q̄a erat impeditus officio cardinalat⁹; & ex c. Ecclesia v̄ra in 2. de elect. q̄m manēs Romę, vt cardinalis manere debet, impeditur ab administratiōe suæ Ecclesiæ. Ergo tenetur illi præsens inservire: alioquin iniustè extinguitur electio Cardinalis, cū sit canonica, & de viro idoneo, nec impedito incōparabiliter, si episcop⁹ nō teneretur



neretur perpetuò manere in sua Ecclesia. &c  
Hinc credo dixisse patres illos delegatos à Paulo. 3. Pont. Max. vt tractarent de reformatione Ecclesiæ vniuersalis, abusum hunc inualuisse in curia, vt Reuerendissimis Cardinalibus episcopatus conferantur, seu commendentur, nec vnu tantū, sed plures. Quē abusum verissimè dixerunt esse magni momenti in Ecclesia Dei, quia officium Cardinalatus, & officium Episcopi, sunt incompatibilia, quodverè & sanctè dixerunt.

*Damasus papa.* Hance eandem sententiam probat multo fusius & doctius Damasus papa in Epist. 4. qua damnat corepiscopos in Ecclesia, deinde & episcopos, qui propter suam quietem corepiscopis suas plebes cōmittere non formidabant. Quos hisce rationibus damnat.

*Adnotent episcopi, qui per vicarios* Primò, quia curam sibi à Deo cōmissam negligāt, cùm dominus dicat. Bonus pastor animam suam ponit. &c.

*Suas Ecclesias quae pariunt, infantes suos alijs nutricibus trahernant.* Secundo, quia episcopi talia præsumētes, videntur similes meretricibus, quæ statim vt pariunt, infantes suos alijs nutricibus trahernant. dunt educādos, vt suam citius libidinem explere valeant. Sic & isti infantes suos, id est, populos sibi commissos alijs educandos tradunt, vt suas libidines expleant, id est, vt pro suo libitu secularibus curis inhient, & quod

vnicuiq;

vnicuiq; visum fuerit, agant. Pro talibus animæ negliguntur, oues pereunt, morbi crescunt, hæreses & schismata prodeunt, Ecclesiæ destruūtur, sacerdotes vitiantur: & reliqua mala proueniunt. Non taliter dominus docuit, nec Apostoli instituerūt, sed ipsi, qui curam suscipiant, ipsi pergant, & ipsi proprios manipulos domino repræsentent. &c. Gene. c. 31 Tertiò, arguit exfacto Iacob Patriarchæ, qui postquā pro vxorib⁹ diu seruierat, dixit Labam socero suo. Viginti annis fui tecū, oues tuæ & capreæ steriles nō fuerunt, arietes gregis tui non comedí, nec captū à bestia ostendi tibi, diu noctūque æstu vrgebar & gelu, fugiebat somnus ab oculis meis, & cætera. Si ergo sic laborat & vigilat, qui pascit oues Laban, quanto labori, quantisq; vigilijs debet intendere, qui pascit oues Dei? Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui dedit pro ouibus suis animam suam. Hæc Damasus papa. Quis episcopus absens, suis ouibus valebit similia dicere patri cœlesti, à quo accepit oues pascendas? Nullus vt opinor. Audi quid in hæc verba scribat Chrysostomus in Gene. homi. 57. Vidisti pastoris vigilantiam? Vidisti intentū studium? Qualem habebunt excusationē hi, quibus rationales greges crediti sunt, & magnā præ se ferunt



runt negligentiam, & quotidie iuxta Prophetam pecudes alias mactant, alias à bestijs captas contēnunt, alias verò ab alijs raptas reducere non curant? Vide enim (inquit) die vrebar c̄stu, & nocte gelu, & discedebat somnus ab oculis meis. Quis hæc nunc potest dicere, quòd propter eos, quos pascit, tot ferat labores & pericula? Et hoc quidē nunc nullus dicere audet: Paulo autē soli licebat hoc fidēter dicere, atq; his maiora. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scādalizatur, & ego non vrōr? O pastoris dilectionem indulgentissimam. Alienæ ruinæ meos dolores augent. Alienæ scandala fornacem doloris mei succendunt. Hunc omnes imitentur, quibus rationales oues concreditæ sunt, & ne deteriores fiant, hic qui tantæ in brutis pecudibus custodiendis vigilantiæ fuit, idq; tot annorum numero, & illic quidem si incuria quædam occidens, nullum damnum, hic autem si ouis rationalis perierit, vel à bestia fuerit capta, graue damnum, maximum detrimētum, ineffabilis poena. Nam si dominus noster sanguinem suum effundere pro illa non declinavit, qua venia dignus fuerit, qui si honoratā à domino despicer voluerit, & non omnia, quæ potest in curanda ouicula adimpleuerit?

Item

Item Gregorius super Ezechiel. hom. xi. *Gregori⁹* super illud. Sanguinē eius de manu speculatoris requirami. &c. Pēsandum est quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atq; præpositorum, quia vbi subiectus ex sua culpa moritur, ibi is, qui præest, quoniā tacuit, reus mortis tenetur. Et si quando vos fratres ad iniquitatem defluitis, etiam ex nostro reatu, hoc est, quòd obſistentes atq; reclamātes in prauis desiderijs non habetis. Vobis ergo & nobis parcitis, si à prauo opere ceſſastis, vobis & nobis parcimus, quando hoc, quod displicet, non tacemus. O quām liber à commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat. Mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quo minus annuciarem omne consilium Dei vobis. &c. Si enim non annunciasset, mundus à Adnotent fanguine non esset, sed quibus omne consiliū Dei annunciare studuit, ab eorum sangui- *bæc dili-*  
*gēter qui*  
guine mundus fuit. In qua voce nos conueni- *in Eccle-*  
nimur, nos constringimur, nos rei esse ostendemur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea *rum noīe* mala, quæ propria habemus, alienas quoq; gaudent. mortes addim⁹: quia tot occidimus, quot ad mortē ire quotidie tepidi tacentes videmus. Cùm verò dicitur, sanguinem eius de manu tua requiram: si hoc in loco sanguinis nomi-

G nemors



ne mors corporalis designatur, valde nobis de nostro silentio augetur metus, quia si in subiectis suis, is qui prælatus ad speculandū est, & de monte corporis quandoq; morituri, tā grauiter reus tenetur, quo reatu de morte animæ, subiecti constringitur, quæ potuif set semper viuere, si verba correctionis audif set? Sanguis ergo morientis, de manu speculatoris requiritur: quia peccatum subditi culpa esse præpositi si tacuerit, reputatur. Est ergo quod faciat, vt etiam moriente subdito se liberum reddat, surgat, inuigilet, malis actibus contradicat. Tunc enim subiectus moritur sine te, quando in causa mortis contradictem pertulerit te. Nam morti, cui non contradicis, adiungeris. Hæc Grego. papa.

Hæc adeò plana sunt, si Gregorio & sancto Pontifi. summo, & Ecclesiæ doctori, adhibere quis velit fidē, vt tergiuersationi nequaquam sit locus.

CAP. IX. SANCTORVM PASTRUM DOCTRINA, RESIDENTIA EPISCOPORU<sup>M</sup> DEMONSTRATUR NECESSARIA.

HANC



HANC sententiam trā-  
diderunt nobis omnes nūs argu  
patres Ecclesiæ. Primò menti à  
Clemens Papa epistola. doctrina  
3. in principio. Oportet patrū &  
fratres omnes doctores, doctorū  
qui ad salutem animarū Ecclesiæ.

instituti sunt, & ad lucrandas animas episco-  
pi sunt consecrati, pro cunctis solitudinem  
gerere: & errantes ad viā veritatis, & ad por-  
tam salutis reducere.

Itē Hie. Tom. 2. in epistola ad Oceanū, vbi Hierony.  
explicans verba Pauli ad Tit. Oportet episcopū sine crimine esse. &c. describit qualem  
oportet esse episcopū. In euāgēlio, & futuri  
pastoris lōga oratione vitā deliniat, quā sepa-  
ratus pastor ab ouibus viuere, nulla ratione  
potest, ad quē librū remitto lectorē, vt ex il-  
lo probet vel improbet sentētiā nostram.

Item ad Paulinū. Officiū pastorū est, esse  
dispensatores: Græcè œconomos mysterio-  
rum Dei & doctrinæ mysticæ. Iuxta illud. 1. Cor. 4.  
Sic nos existimet homo, vt ministros Chri-  
sti & dispensatores mysteriorum Dei. Idē sunt

Quis non videt hæc requirere præsentem apud Pa-  
Episcopum, quæ per absentem exerceri mi-  
nimè possunt? In commentarijs Ephe. 4. in copus &  
hæc verba dedit alios Apostolos, alios pro-  
doctor.

G 2 prophetas,

phetas, alios pastores, & doctores. Hiero. sic habet. Non dixit Apostolus Paulus alios pastores, & alios doctores, sicut dixerat, alios Apostolos, alios prophetas, sed alios pastores & doctores, indicans nō esse diuersos pastores, & doctores, sed quod idē est in Ecclesia pastor, qui & doctor. Cū ergo absens nō possit esse doctor, ergo nec pastor.

*Augustinus.*

Hoc idē sentit Augustinus in epistola. 58. respondens Paulino, quārenti quāe esset differentia inter pastores & doctores, eò quōd præpositis Ecclesiæ vtrumq; nomen adscriberetur. Cui Augustinus vbi suprà. q. 4. sic respondet. Pastores autem & doctores, quos maximè, vt decernerem, voluisti, eosdem puto esse sicut & tibi visum est, vt non alios pastores, alios doctores intelligamus. Ideo cùm prædixit pastores, subiunxit doctores, vt intelligent pastores, ad officium suum pertine re doctrinam.

*Nicolaus papa.*

Sed & Nicolaus papa primus, cuius decreta extant in 2. Tomo conciliorum, de pastoribus, qui & doctores esse deberent, sic dicit.

*D. 4. 3. cap. fin.*

Episcopis dispensatio cœlestis seminis iuncta est. Væ si non sparserint, Væ si tacuerint, sicut vas electionis formidat, & claimat. Si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est, si

est, si non euangelizauero. Si enim volēs hoc ago, mercedem habeo, si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.

Quocirca idem Nicolaus post pauca subiunxit.

Episcopos verò, qui dominici gregis suscipiunt curam atq; solicitudinem, ab administratione eorum discedere nō oportet, vt accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamen eorum salubriter augeatur, & triplicatur fructus. Hæc ille.

Enim uero, qui à gregibus suis discedunt pastores, qui velut canes latratibus abigere ab ouibus lñpos non curant, se ipsos & oves perdunt. Si euangelizauero (dicebat Paul<sup>o</sup>) mercedē habeo, mercedē quidē non tantum æternā, sed & temporalem. Quis militat (eodē cap. dicebat Apostol<sup>o</sup>) suis stipendijs vnquā? Quis plantat vineā, & de fructu ei<sup>o</sup> non edit? Quis pascit gregē, & de lacte gregis nō manducat? ergo qui nō plantat vineā, imò qui vt aper de sylua eam exterminat, quo iure eius fructu vescetur? Qui gregem non modò non pascit, sed mactat & perdit, quomodo de gregis lacte māducabit? Qui non laborat (inquit Apostolus) non māducet. Hoc idem in lib. de pastoribus cap. 10. asserit Augustinus, vbi apertè indicat, q̄ episcopi, qui nō laborant

G 3



*nepisco-* borabāt in prædicatione verbi, nō percipie-  
*pi non la-* bant fructus ex ouibus, Ibi loquēs de malis  
*borantes* pastoribus, qui prædicantes legē, operantur  
*in prædi-* contra illā, dicit. Non vos (loquens ad popu-  
*catione ver* lū) ipsi pastores mali pascunt, sed Deus, quia  
*bi, nō per-* velint nolint pastores, vt perueniant ad lac  
*cipiebant* & lanam, verba Dei dicturi sunt. Hęc Augu-  
*fruct⁹ in* stinus. Quibus verbis indicat, q̄ percepturi  
*Ecclesia.* lac & lanam ex ouibus, debēt necessario ver-  
 bum Dei prædicare. Sed &, Vx omnibus, si  
 pastorem non habeāt, qui pascuis vberrimis  
 diuini verbi eas pascat. Qui cūm errantes vi-  
 derit, reducat, & ad salutis viam ducat oues,  
 qui ita inuigilent, custodiantq; vigilias no-  
 etis super gregē suum, ita assiduis latratibus  
 circumieant gregem, vt non modò non ma-  
 etet, sed nec graſlari audeat lup⁹. At si pascua  
 non habeāt oues, vnde illis lac, vt nutrire pos-  
 sint pastorem? Si proprijs ob pastoris culpā  
 expoliantur pelliculis, vnde illis lana, vt ca-  
 lefiant episcopū: Si deniq; pastoris somno  
 lentia grex luporū est esca, vnde ouibus foet⁹  
 vt ipsum cibare possint? Mercedem deniq;  
 suam, suaq; oues mali pastores perdunt. Vn-  
 de Augustinus in lib. de pastoribus. ca. 8. vbi  
 optimè distinguit bonū à malo pastore, post  
 alia subiungit. Audi, quid sentit de ista negli-  
 gentia malorum vel falsorum pastorum. Et  
 dispersæ

Augusti-  
nus,



dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non sit pa-  
 stor, & factæ sunt in deuorationem omnib⁹  
 bestijs agri, Furantur lupi insidiantes, rapiūt  
 leones frementes, cùm oues non hærent pa-  
 stori. Hęc ille. Sed quomodo possunt hærere  
 illis, si per aulas Cæsarum vagantur? Si fu-  
 giunt ab ipsis pastores, quid non inseguen-  
 tur gregē leones? Quid non inuadent ipsum  
 rapaces lupi, ceteræq; bestiæ agri, vt morsu  
 amarissimo deuoret eum? Si pace composi-  
 ta, pastores oues deserunt, tempore per-  
 secutionis, quónam comparebunt? Cùm &  
 tanto astringantur vinculo, vt persecutio-  
 nis etiam tempore, ipsis discedere ab ouibus  
 minimè liceat. Sed velut ille bonus pastor  
 (si opus est) animas suas pro ouibus suis po-  
 nant? Qua de re, Nicolaus ille Pontifex, vbi *Nicolaus*  
 suprà cuidam episcopo sciscitati, temporēne *papa.*  
 persecutionis, suas posset deserere oues. Re- *7. q. 8.*  
 spondet sic. *Sciscita-*  
*ris.*

Sciscitaris, vtrū cū à Normanis, ab episco-  
 pio depellaris, de beas de cætero in monaste-  
 rio cōuersari. In quo scias, charissime frater,  
 q̄ sicut pñciosum est, preptā in tranquillitate  
 nauī deserere, quātò magis in fluctib⁹? Vbi  
 non dicimus, q̄ persecutorū non fugiamus  
 insidias (maximè paganorū) cùm ad tēpus  
 sœuiunt, & ob multitudinē delictorum no-



strorum nocendi facultatem diuinitus asse-  
quuntur, præsertim cū eis prodire vltro non  
debeamus, & multos prophetas & Aposto-  
los, ipsum quoq; dominum huiusmodi fu-  
se insecutores luce clarius constet. Sed quòd  
præcipue nos, qui tāquam arietes ducatum  
gregibus præbemus, immo qui & horum  
pastores sumus ( Deo authore) cum eis in  
periculis pro viribus persistere pro cæte-  
ro conueniat. Et cùm tranquillitas reddita  
diuina fuerit pietate, sopitaq; furentium in-  
festatio, mox gregem perquirere, & in vnum  
colligere, & eius animos cœlesti patrię ac se-  
curitate prædicata, erigere debemus. Hæc Ni-  
colaus papa.

**Augusti-** Item Augustinus epistola. i 80. ad Hono-  
**nus.** ratum explicans, quando & quomodo fu-  
**Quibus** giendum in persecutione, & quibus, & quan-  
**& quan-** do non liceat episcopis fugere imminēte pe-  
**do liceat** riculo persecutionis, docet illic inter alia, q  
**fugere ī-** quādo est barbaric⁹ & hostilis incursus, licet  
**minētem** quidē fugere, sed his, quos ecclesiastici officij  
**persecuti** non tenent vincula. Hæc Augustinus.  
**onem.**

Item in eadem epistola idē Augustinus sic  
dicit. Recolim⁹ verba dicentis. Cū persecuē-  
tur vos in ciuitate ista, fugite in aliā. &c. Tūc  
de locis in quib⁹ sumus premēte persecutio-  
ne fugere Xpi ministris licet, quando vbi aut  
plebs

plebs Christi non fuerit, aut potest impleri  
per alios necessarium ministerium, quibus  
non est eadem causa fugiendi, sicuti in spor-  
ta submissus fugit Paulus cùm à persecuto-  
re propriè ipse quereretur. Alijs vtiq; neces-  
sitatem similem non habentibus, à quibus  
illuc, absit vt desereretur ministerium Eccle-  
siæ, sicut fugit Athanasius Alexadrinus epis-  
copus, cùm eum specialiter apprehendere  
Constantius cuperet Imperator, nequaq; à  
ceteris ministris deserta plebe catholica, que  
in Alexandria cōmanebat. Quicunq; igitur  
sic fugit, vt Ecclesiæ necessarium ministeriū  
illo fugiente non desit, quod dominus præ-  
cepit, siue permisit. Qui autē sic fugit vt gre-  
gi Christi ea, quibus specialiter viuit, alimen-  
ta subtrahantur, mercenarius ille est, qui vi-  
det lupum venientem & fugit, quoniam nō  
est ei cura de ouibus. Hæc Augustinus.

Huic sententiæ subscribit S. Thomas. 22.  
q. 185. arti. 5. vbi allegat decretum Nicolai Pa-  
pæ, & quæ dicebamus ex Augustino.

Item Bernardus de persecutione sustinen  
da. cap. 31. declarans illud domini. Mercena-  
rius videt lupum venientem, & fugit. &c. sic  
dicit. Vtinam hodie quicunq; pastores non  
sunt, mercenarios gregi vellent se exhibere,  
non lupos, vtinam ipsi non ledarent. Vtinā  
G 5 non



non fugerent nemine persequente, vt inā nō exponerent gregē donec lupus veniēs videatur. Nimirū sustinendi fuerant, si inuenientur pr̄sertim tempore pacis recipientes mercedeū suā, vt pro mercede sua saltem in custodia gregis laborātes, dummodo nō ipsi turbarent gregē & gratis auerterēt à pascuis iustitiae & veritatis. Nam persecutio quidem indubitanter mercenarios à pastoribus segregat & discernit. Quando enim trāsitoria damna non timeat, qui temporalia lucra se-ctatur? Quando terrenam sustineat persecutionem propter iustitiam, qui terrenam mercedeū plusquam iustitiam quærit?

Ambro-  
sius.  
Audi & alium testem non minoris fidei. Ambros. qui in lib. de dignita. sacerdo. cap. 3. post alia sic habet.

Hæc verò cuncta fratres ideo nos præmis̄e cognoscere debetis, vt ostēderemus nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri, & cū dignitatē episcopatus, episcoporū oculis demōstramus, & dignè noscamus quid sumus, & quid sumus, professione, actione potius, q̄ nomine demonstremus, vt nomen congruat actioni, aetio respōdeat nomini, ne sit nomē inane, & crimen immane, & post pauca. Sic episcopum non aliud nisi episcopalis opera designat,

designat, vt ex bono opere magis quām professione noscatur episcopus.

Idem cap. 6. vbi suprà de officio episcopi.

Oculorum etiā in corpore officium, id est Episcopi in Ecclesia, voluntarius accepisti vt reliquū sunt vice per te corpus ducatū lucis haberet. Episcop⁹ oculorum enim à cunctis indubitanter vocaris, præser- in Eccle- tim cū ipso nomine censeris. Si tamen actio sia. cōcordet nomini, & nomen se societ actioni. Nam quid aliud interpretatur episcop⁹, nisi superinspector, maximè cum solio in Eccle- sia editiore resideat, & ita cunctos respiciat, vt & cunctorum oculi in ipsum respiciant?

Idem libro. 2. de Abraham. cap. 6.

Pastores sunt magistri gregum, vel diligētes, & sobrij nō sinentes agrorum culta ob-teri pedis vestigio, atq; à duris sentibus, vel negligentes & remissi, qui nō reuocent pecus suū, quo herbosa, & non fructuosa pasca tur, sed libere vagari per varios agri fructus sinant. Hæc Ambrosius.

Eiusdem veritatis catholicæ & alter testis Bernardus accedat omni exceptione maior. Bernardus in libro de consi. ad Euge. Et in declama. de verbis Petri. Ecce nos reliquimus omnia. &c. Summopere vrget hoc argumentum de mi- nisterio & residentia pastorum Ecclesiæ, in declamatione sic habet.

Iam



Iam qui per Christum sibi in sortem ministerij huius introisse videtur, de cætero quæ admodum ei seruiat, quemadmodum ministeriet, quemadmodū pascat, tripliciter, exemplo cōuersationis, verbo prædicationis, fructu orationis, gregem domini, solicita secum examinatione discutiat, indignus enim lacte & lana cōuincitur, si non pascat oves, si non vigilat in custodia gregis, iudicium sibi manducat & vestit. Væ, væ tibi clerice. Mors in olla, mors in olla, mors in ollis carniū, mors in huismodi delitijs est: nō modò quia secus introitū delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maximè, quia populi constat esse peccata, quæ comedis. Sumptus ecclesiasticos gratis habere te reputas? Cantando (vt aiunt) tibi prouenire videntur. Sed bonum erat etiam fodere, aut manducare. Peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur. Solicitus esto, tanq; redditurus rationē pro eis, gemitus fundere, dignos agere poenitentiæ fructus, alioquin tibi noueris ea imputanda, quæ modò inter delicias comedis, & paruipendis, & dissimilias tanq; nihil attinentia tibi: ò iudiciorū Dei abyssus multa: ò terribilis Deus in consilijs super filijs hominum: frustra tunc incipient miseri dicere montibus, cadite super nos, & collibus

collibus operite nos. Venient, venient ante tribunal Christi, audietur populorū querela g rauis, accusatio dura, quorum vixere stipendijs, nec diluere peccata, à quibus facti sunt duces cæci, fraudulēti mediatores. Quid tibi insipiens delitiæ sapiunt? Quia diuitiæ il lœ cæcos delectant oculos, quibus mercaris tam graue iudicium, tam durè temet ipsum obligas rationi? Vniuersa siquidem usq; ad quadrantem nouissimum exigeris.

Idem sermo.3.de Aduentu Domini.

Longè tamē grauiori & periculosiori debitò tenentur adstricti, si qui pro multis animalibus reddituri sunt rationē. Quid ego infelix? quò me vertā si tantū thesaurū, si preciosum depositū istud, quod sibi Christus, sanguine proprio preciosius iudicauit, cōtigerit negligentius custodire? Si stillantē in aureis lite cruce domini sanguinem collegissem, esset ris erant repositus penes me in vase vitreo, quod & annotāda portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id ribus passeruandum accepi, pro quo mercator nō in storū insipiens (ipsa vtiq; sapientia) sanguinē illum scribēda. dedit. Sed & habeo thesaurum istud in vasis fictilibus, & quibus multo plura q; vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad solicitudinis cumulum & pondus timoris, quod



quòd cùm & meam, & proximi conscientiā seruare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Vtraq; abyssus est imperscrutabilis. Vtraq; mihi nox est, & nihilominus exigitur à me vtriusq; custodia, & clamatur. Custos qui de nocte. Custos qui de nocte. Non est mihi dicere cum Caim. Nunquid custos fratris mei sum ego. Sed est fateri humiliter cum Propheta. Quia nisi dominus custodiret ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

Idem in Psal. Qui habitat. Sermo. 6.

**Officia ecclesiastica** Ipsa quoq; ecclesiasticæ dignitatis officia *clericis* in turpe in quæstum & tenebrarum negociū in quæstū transiere, nec in his salus animarū, sed luxus trāscunt. quæritur diuitiarū. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant ecclesias, missas celebrant, psalmos decantant. Pro episcopatibus, & archiepiscopatibus, abbatijs, alijsq; dignitatibus impudenter hodie decertatur, vt ecclesiarum redditus in superfluitatis & vanitatis usus dissipentur.

Idem Sermo. 77. Super Canti.

Non omnes sunt amici spōsi, quos hodie sponsæ hinc inde assistere cernis, & qui (vt vulgo aiunt) eam quasi addextrare vidētur. Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærant ex omnibus charis eius. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christū,

X  
Bernardus.

stū, quia manus dederūt mammonæ. Inture quomodo incedunt nitidi & ornati circum amicti varietatibus, tanq; sponsa procedens de thalamo suo. Nónne si quempiam *cuncte factum* repente eminus procedentē aspexe- cultatib⁹ ris, sponsam potius putabis, q; sponsæ custodi- ecclesiasti dem? Vnde verò hanc illis exuberare existi- mas rerum affluentiam, vestium splendorē, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miseranda, inulta, hispida, exangui. Propter hoc nō est, hoc tempore ornare spōsam, sed spoliare: nō est custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: nō est instituere, sed prostituere: nō est pascere gregē, sed mactare & deuorare. Dicente de illis dñō. Qui deuorant plebē meam vt cibum panis, & quia comedenter Iacob, & locum eius desolauerunt. Et in alio Propheta. Peccata populi mei comedent, quasi dicat. Peccatorū precia exigūt, & peccantibus debitā solitudinē nō impendunt. Quem dabis mihi de numero præpositorū, qui nō plus inuigilet subditorū euacuandis marsupijs, q; vitijs extirpandis? Vbi qui orando fleat irā, qui prædicet annū placabilē dñō? Leuiora loquimur, grauiora, grauius manet



manet iudicium. Sine causa tamē vel his, vel illis immoramus, quia non audiunt nos. Sed & si literis forsitan mandentur ista quæ dicimus, deditabūtur legere, aut si fortè legerūt, mihi indignabūtur, quāuis rectius si hoc facerent. Propterea relinquamus istos nō inventores sponsæ: sed venditores, & inquiramus potius illos, à quibns sponsa se inuentam loquitur. Et quidem illorum isti sortiti sunt ministerij locum, sed nō zelum. Successores omnes cupiunt esse, immitatores pauci. Ovtinam tam vigiles reperirentur ad curram, quām alacres currūt ad cathedram. Vigilarent vtiq; sollicitè seruantes ab illis sibi creditam. Immo verò euigilarent pro semet-  
ipfis, nec sinerēt de se dici. Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerūt & steterunt. Iusta omnino querimonia, nec ad ullam iustus q̄ ad nostram referenda aetatem. Parum est nostris vigilibus quòd non seruant nos, nisi & perdant. Alto quippe demersi obliuionis somno ad nullum dominicae cōminationis tonitruū expurgiscuntur, vt vel suum ipsorum periculum expauescat. Inde est quòd non parcant suis, qui nō par-  
cunt sibi, perimētes pariter & pereuntes. &c.

Et post pauca subiungit.

Et qui dimittit oves in pascua absq; custo-  
de,

de, pastor est non ouium, sed luporum. &c.

Et quid clarius, vt coniçere quis possit, q̄ qui nō proprias custodit oves eas in luporuū pastū seruent & in cibos cunctis bestijs agri parent gregē. Non pascua gregi, sed vt grex in pascua sit lupis, pastoris facit absentia. Si mercenarij alleges custodiā, nō est, quòd effugere possis Bernardi, immo & Christi sententiā. Nónne Christū audisti dicentem q̄ lu Ioan.10. pi incursum, mercenarius effugiat, & dimittat oves, eo q̄ mercenarius sit, & non pertinet ad eum de ouibus, & sic lupus rapit & dispergit gregē? Igitur si nō ipse custodias, si non defendas, si non pascas gregē, pro lupis oves custodis, luporuū deniq; pastor & procurator es. Si enim patris nō adsumeres nomē, suffecisset forsan deus, qui nō modò vt pater cōgregaret filios, sed vt mater ad vbera portaret, lactaret, foueret, atque filios nutritret, suiq; potius obliuisceretur q̄ filiorum. Non defuisset ouibus pro quibus bonus ille pa-  
stor mortuus est, pastor inquam, si pastoris dignitatem, & si non curam fortitus fuisses, qui suis omnibus relicitis, etiam pro vna tan-  
tum errabunda oue desertum ascenderet, & inuentā gaudens humeris superponeret pro prijs & prē gaudio vicinos vt secum congratuarentur conuocaret. Si doctoris, culto-

H disq;



disq; personā non induceres tuum profecto locum alius ascenderet qui viā salutis verbo, & exemplo populum suum doceret, qui custodis ita officium expleret, vt muros ciuitatis, ouileq; sui gregis ascendēs diebus ac noctibus à clamoribus non cessaret, vt lupos à gregibus arceret, qui & lectum strati sui nō ascenderet, & oculis suis suisq; palpebris negaret somnū quoadusq; requiem gregi suo inueniret. Modò cùm iam patris, pastoris, doctoris atq; custodis obtinueris locū, cùm nō pascas, nō custodias, quæ maxima indigent custodia, oues, quæ, vt pascua sibi spiritualia, & cetera custodia atq; pastoris præsidio cōparare possent, niagalia huius vitæ habitant, quas cū (vt deuoret) tanq; leo rugiēs, hostis antiquus sæpiissimè, immo incessanter circumeat. Nónne custos es luporū infernaliū, qui vt ipſi nemine contradicente audiūs, & facilius deuorent, & in oues grassentur, nomen custodis sumplisti quo te superstite, qui custodire gregem posset, tuis non præficiatur ouibus? Deniq; dum cathedra frueris pastorali, fores custodis, ne qui custodiat gregem domini introire possit.

Athanasius in epistola ad Hebreos ca. vlt.

Intelligāt, qui aliorū sunt duces, & ceteris præsunt, quia quemadmodum necesse est, vt popu-

X Athana-  
ms.

populus obsequentem se præbeat, & præsidiis ipsis morigerum, ita & sacerdotē operat, vt aliorū animas curet, vel noctes ducat insomnes, vt populi saluti inuigilet, vt qui rationem sit pro populi facinoribus redditurus.

Origenes super lib. Iosue Homi. 7.

Pastor es, vides ouiculas domini, ignaras periculi ferri ad præcipitia, & per prærupta pendere, & nō occurris? Non reuocas? Non saltem voce cohibus, & correptionis clamore deterres? Sic memor es Domini sacramenti, vt cùm ille derelictis nonaginta nouem in cœlestibus propter vnam ouiculam, quæ errauerat, ad terrenas descenderit, & inuentam vectauerit humeris suis ad cœlū? Nos in nullo prorsus in curandis ouiculis magistri pastoris sequamur exemplum.

Idem super Gene. Homi. 16.

Vis scire quid intersit inter sacerdotes dei, & sacerdotes Pharaonis? Pharao sacerdotib⁹ suis terras cōcedit: Dominus autem sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed dicit eis. Ego sum pars vestra. Obseruate ergo qui hēc legit omnes domini sacerdotes, & videte, quæ sit differentia sacerdotum, ne forte qui partē habet in terra, & terrenis cultibus ac studijs vacat, nō tam domini, quām

H. 2 Pha-



Pharaonis sacerdotes esse videantur. Ille est enim, qui vult sacerdotes suos habere posses siones terrarum, & exercere agri, non animæ culturam, ruri, non legi operam dare. Christus autem Dominus noster quid sacerdotibus suis præcepit, audiamus. Qui non abrenunciauerit (inquit) omnibus quæ pos- fidet, non potest meus esse discipulus.

Beatus Cyprianus martyr nō fuit alienus ab hac cæterorum patrum sententia in suis epistolis. In epistola tertia, in primo libro post alia sic habet.

Singulis pastorib<sup>9</sup> portio gregis est ascripta, quam regat vnuſquifq; & gubernet rationem sui actus Domino redditurus.

**Chrysost.** Item Chrysost. & hanc vrget veritatem in libris de sacerdotio, & super Matth. cap. 26. vbi post alia multa subiungit.

Modò autem in procuratores, dispensatores, caupones redacti episcopi sunt, immo ve- rò istos etiam cura & solicitudine seculariū rerum superant.

**Lege Gre** Item Gregorius Nazianzenus cognomēgoriū in to Theologus latissimè disputat de munere oratiōe.<sup>4</sup> Ep̄ali in libro suo apologetico, in quo con- quam ha- gessit tot & tanta veluti necessaria, vt quis buit pre- possit ritè satisfacere muneri sacerdotali, vt sentepare vix possit homo aliquis etiam præsens illa præstare,

præstare tantum abest vt absens & alijs oc- & Basilio cupatus possit. Idem in sermone de semetip- magno cū so de agro reuerso cum per dies aliquot ab in episco- fuisset ab Ecclesia sua, vt quieti & contem- pum Asi- plationi vacaret. Audi quibus verbis curauit morūfuis gregi satisfacere. set elect⁹.

Regressus sum vobis, nō quidem abstra-ctus, sed retractus affectu spiritus nos agen-te ad vos. Ego ergo cū præsens essem minus ex affectu sentiebā laboris. Cūm verò iussus sum abstrahi ac separari tunc sensi amorē, ve-lut dulcē quendā tyrannū & nihil noui est, si enim grauiter fert & dolet plurimū armen-tarius cū à grege vitulus abscessit, vel pastor cū ouis deest, vel auis si foetus auferatur ex nido, quē parumper reliquerat, quanto am-plius putatis inesse sollicito pastori erga ra-tionabilē gregē? maximè pro quo etiā peri-culi aliquid pertulit, ex quo proculdubio plus aliquid ad stimulū amoris accedit. Quo-niam cōturbare gregē aëris turbo modicus facit, hoc accidit quoq; per morbi alicuius languorē, facit hoc & bestia subitō atq; ex improviso gregibus superueniēs. Hęc ego ti-midus pastor, qui p multa circumspectione & cautela velut segnis & desidiosus incusor: sed nō opto ex illis pastoribus inueniri, qui lac quidē comedūt, & lanis operiūtur. & qd' crassum



craſſum eſt iugulant, & labore cōſciunt, vel in p̄cium vertūt & dicunt. Benedictus dñs, qm̄ ditati ſumus, qui ſemetiſos paſcūt ma- gis q̄ oues. Sed ex illis opto inueniri paſtori- bus, qui dicunt. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & nō ego vror? per ſolicitudinē ſcilicet qui dicūt. Non que- ro quæ veſtra ſunt, ſed vos, & ex illis qui adurebantur æſtu ſolis per diem, & gelu fri- goris noctu. Patriarchæ paſtoris opus illud eſt, cuius oues ſignatæ omnes, & que didice- rint in canalibus potatæ ex intuitione & cō- cupiſcentia concipere virgarum. Hęc Grego- riūs Nazian. ex quibus facile eſt intelligere propriam in hac cauſa ſententiam.

**Cyrillus.** Non erat ſilentio prætereundus D. Cyril- lus Alexan. Epifcopus, Eccleſiæ veteris fy- dus fulgentiſſimum, qui non indiligerter hanc noſtrain annotauit ſententiam. Pri. in Leuit. 6.lib. ſic habet.

Exod. 33. Si quis vult pōtifex nō tam vocabulo eſſe quām meritō, imitetur Moſen, imitetur Aa- ron. Quid enim dicitur de eis? Quia nō diſce- dunt de tabernaculo dñi. Erat ergo Moſes in tabernaculo domini. Quod autem opus eius erat? Vt à Deo aliiquid diſceret, aut ipſe populum doceret. Hęc duo ſunt pontificis opera, vt à Deo diſcat legendo ſcripturas & ſæpius

sæpius ruminando, aut populum doceat, ſed Officia illa doceat quæ ipſe à Deo didiſcerit, non ex epifcopo- proprio corde vel ex humano ſenu, ſed que rum. ſpiritus docet. Eſt & aliud opus quod facit Moſes: ad bellum non vadit, nō pugnat cō- Exod. 17. tra inimicos. Sed quid facit? orat, & donec il- le orat, vincit populus eius. Si relaxauerit, & dimiferit manus, populus eius vincitur & fu- gatur. Oret ergo & ſacerdos Eccleſiæ inde- finenter, vt vincat populus, qui ſub ipſo eſt, hostes inuiſibiles Amalechitas, qui ſunt dæ- mones impugnantes eos, qui volunt pie vi- uere in Christo.

Idem in Ioan.lib. 7. cap. 1.

Secundū legitimi paſtoris ſignū eſt, quod oues vocem eius audiunt recipiendo ſanani ab eo doctrinam fidei, & præceptis ad vitam rectè inſtruendam datis promptè obedien- do. Ibidem cap. 2. in hec verba. Proprias oues vocat nominatim & educit eas. &c. Poſſunt & huius capitinis verba euangelica ad paſto- rem eccleſiaſticum nō inconcinne adaptari nempe bonus paſtor & diuina elecione, & canonica institutione ad gregem Domini paſcendum delectus proprias oues vocat no- minatim, quoniā ſollicitā preſtat curā ad eas cognoscendas, non foris ſolūm, ſed intus & in cute, vt ex hac peruigili ſollicitudine eas

H 4 pro-



propemodū noscat ex nomine, & propria appellatione nuncupet, admonitus ad hanc habendā vigilanter omniū notionē à sapien-

Prose. 27

te. Diligenter, inquit, cognosce vultū peco-  
ris tui, gregesq; tuos cōsidera. Educt autem  
eas idē pastor, quando ex quiete & ocio ad  
ambulandū in via mandatorū Dei, & boni  
operis exercitio ipsas euocat, admonito-  
rioq; sermone incitat illud beati Pauli ver-

Ephes. 5.

bū illarum auribus inclamās. Surge qui dor-

mis, & exurge à mortuis, & illuminabit te

Hebr. 12. Christus. Et illud eiusdem verbum. Propter

quod, remissas manus, & soluta genua erigi

te, gressus rectos facite pedibus vestris, vt nō

claudicans quis erret, magis autem sanetur.

Deinceps ante oues suas vadit ipse pastor

quādo ipsis proponit bonæ vitæ exemplū,

quod imitantur, & per honorū operū gres-

sus iter illis ostendit, quo debeant incedere,

1. Tim. 4 quemadmodū beatus Paulus admonuit Ti-

motheū ita scribens. Nemo adolescentiā tuā

contemnat, sed exemplū esto fideliū in ver-

bo, in conuersatione, in charitate, in fide, in

castitate. Ad Titum etiam scribens idem

his verbis ipsum, vt ante oues suas iret ex-

hortatus. In omnibus temetipsum præbe

exemplū bonorum operum, in doctrina, in

integritate. Illum quoq; pastore sequuntur

oues,

oues, quoniam imitantur bona opera, quæ  
in eo mirificè eluent, & obiecta sunt oculis  
subditorum, quo incitētur ad ipsorum con-  
fessionem. Hæc Cyrillus.

Vides, candide lector, communem senten-  
tiam patrum Ecclesiæ, vides in veteri Eccle-  
sia inauditas has voces, episcopum abesse ab  
Ecclesia sua, pastorem ab ouibus suis, episco-  
pum simul agere & magistratum, per merce-  
narios pasci oues Christi, : vsq; adeò firma &  
indubitata erat veritas ista, nēpe, necessariā  
esse residentiam episcoporū in Ecclesijs suis,  
vt vehementer formidarent iram Dei pij &  
legitimi episcopi (si quando gratia contem-  
plationis aut vt parum quieti vacarent) con-  
tingebat illos à plebibus suis abesse. Audi  
quid scribant huius veritatis fidissimi testes  
Augusti. & Bernar. quorum sic in cātica ser-  
mo. 53. ita scribit. Etenim is, qui alijs præest,  
in solicitudine vix vnquam vel raro securè  
vacat sibi, dum semper timet sui penuriam  
facere subditis, & non placere Deo, quòd cō-  
muni vtilitati propriam profert quietem, &  
cōtemplationis dulcedinem. Ille verò, cui se-  
mel aut iterum accidit abesse à suo grege, in  
hūc modū curauit plebi suæ satisfacere. In  
primis peto charitatē vestram, & per Iesum  
obsecro, ne vos mea contristet absentia cor-

H 5 poralis



poralis, nā spiritu & cordis affectu puto vos non dubitare, nullo modo me à vobis posse discedere, quanuis me amplius contristet, q̄ fortè vos ipsos, quòd infirmitas mea sufficeret non potest omnibus curis, quas de me exigunt membra Christi, quibus me & timor eius & charitas seruire compellit. Illud enim nouerit dilectio vestra, nunquā me absentē fuisse, licentiosa libertate, sed necessaria seruitute, quæ sāpe sanctos fratres & collegas, meos, etiam labores marinos & trāsmarinos compulit sustinere, à quibus me semper non indeuotio mentis, sed minus idonea valetudo corporis excusauit. Hæc Augustinus ad clerum & vniuersam plebem Hyponensem, in epistola. 138.

Igitur cùm tantā habeamus testium nubē impositā veritatis præpositæ, quis audet vel dubitare hanc sententiā? Dicet aliquis, non dicunt patres in hac forma verborum, quòd tenetur episcopus continuò residere, in sua diœcesi. Si formā verborū requiris, forsitan nō conuincā te patrū sentētia. Si autē rem ipsam (quod ēquū est) requiras, nullū exemplum nec verbū sentētiæ tuæ inuenies in patribus veteris Ecclesiæ, sed oēs citra exceptionē aliquā auersantur, veluti sathanā, hanc sententiam tuā, & falsam & perniciosa Ecclesiæ catholicæ

catholicæ. Si roges, cur nec Dñs, nec Apostoli in scripturis sacris, nec patres in suis com- Cur pa-  
mentarijs sub hac forma tulerint legē cōtra tres nō tā absentes episcopos. Respōdeo, q̄ Solō respō apertē c-  
dit rogatus, cur non tulisset legem cōtra pa- gerint cō  
tricidas. Ferūt dixisse, quia nunquā putaram tra absen  
futurum aliquē, qui patrē propriū esset inte tiam epis-  
rempturus. Tantundē arbitror nunc respon coporum  
furos & Apostolos, & patres Ecclesiæ.

Deinde, quomodo patres damnassent in hisce verbis sententiā hanc, quibus nunq̄ ve-  
nit in mentē, q̄ episcopus absens ab Ecclesia  
sua, alijs implicatus posset defungi munere  
suo episcopali? Dubitarunt quidē illi ve-  
hementer, an præsentes possunt suo officio fa-  
tisfacere, Ideo Chrysost. accersitus ad id mu-  
nus sibi timens, occultauit se. Basilius ille co-  
gnomento magnus, magno dolore vexaba-  
tur, q̄ coact⁹ sit subire tam arduā prouinciā.  
Greg. Nazian. vtriq; fidelissim⁹ sodalis voca-  
tus & electus aufugit, adeò, vt pōst coact⁹ sit  
redire & purgare se coram Ecclesia de fuga,  
& alter Gregorius cognomento magnus, cū  
ad Pontificatum vocaretur, aufugit & absco-  
dit se, donec inditio columnæ fuit inuentus.  
Sanctus Thomas Aquinas nunq̄ voluit im-  
portunitati pontificū acquiescere, & alij quā  
plurimi, dicit enim Hierony. ad Heliodorū.

Non



Non est facilè stare loco Pauli, tenere gradū Petri. De illis autem, qui temerè & extra tēpus, vel ambiunt, vel facile oblata admittūt eiusmodi ecclesiastica munera. Audi qd Bernardus scribat.

*Epistola. Meditantibus quidem honores blandiuntur, sed onera pensantibus tædio sunt atquè non ē Ar- chiepisco pum.*

42. ad Se formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum, multi enim non tanta fiducia & alacritate current ad honores, si esse sentirent & onera, grauari profectò metuerent, neccū tanto labore & periculo quarumlibet affeterent insulas dignitatum. Nunc verò, quia sola attenditur gloria & non poena, purum esse clericum erubet sit in Ecclesia, seq; viiles æstimant & inglorios, qui quocunq; eminentiori in loco non fuerint sublimati. Scholares pueri & impuberes adolescentuli, ob sanguinis dignitatē promouentur ad ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transfruntur ad principandum presbyteris, lætiores interim quod virgas euaserint, quā quod meruerint principatum, nec tam illis blanditur adeptum, quā ademptum magisteriū: & hoc quidem in initio: processu verò temporis paulatim in solecentes, docti sunt in breui vendicare altaria, subditorū marsupia vacuare, magistris nimirum in hac disciplina vtentes

vtentes idoneis, ambitione & auaritia. Verū quātauis industria tua tibi lucra conquirere cautulus videaris, quantalibet vigilātia rem possis seruare tuam, quantocunq; studio regum tibi ac principum gratiam captare cures, dicimus tamen. Vx terræ, cuius rex est puer, & cuius principes manè comedūt. Hęc Bernardus.

Quid putas dicturos hos patres, si quis rogasset, an absens & exercens magistratum ciuilem & prophanum, posset muneri episcopalí satisfacere? Haud dubium quin responderent nobiscum: alioquin falsò querebantur de difficultate muneris, & perperam recusassent pro Christo sumere hęc ministeria pascendi oves suas, pro quibus ille morti se dederat (præsertim cùm istud sit indicū singularē dilectionis Christi, si pro amore suo quis pascat, & regat gregē suum, iuxta illud, quod dixit Petro. Si amas me, pasce oves meas. Si tam facile est huic muneris satisfacere, vt non modò præsens, sed & absens possis plenè illud administrare? Sed vereor, ne isti, quibus sic pruriunt aures, vt libenter audiānt nouas istas & pernicioſas opiniones, sint illi, de quibus Chryſo. vel quicunq; fuerit eius operis author, Homi. i. operis imperfecti, veluti vaticinans dixit. Sicut Roboam abiiciens



abijciens seniorū cōfilia, & coētaneorū suorum consilia sequens, occasionē p̄ebuit disfido populi Israelitici, vt decem tribus secederent, & duæ tantū manerent cū domo Dauid. Sic & circa finē episcopirelinquētes consilia seniorū Apostolorū & Prophetarū secū dum q̄ cōfiliati fuerāt, episcopos conuersari debere, vel episcopatū suū tractare, & sequunti sunt cōfilia coētaneorū suorū, & iuuenum consiliantiū, episcopū oportere diuitē fieri, & inhospitalē, & timorē Dei non habere, & talia quādā alloqui, quę moueant plausum. Dederūt occasionem diabolo præcisionum.

**2. Tim. 2.** faciendarum, non attendentes, quod præcipit Petrus. Nō vt dominātes in cleris, sed forma facti gregis ex aīo. Itē Paulus. Nouitates vocū de vita, generant enim lites, & sermo illorū sicut cācer serpit. Itē. Formā habe sanctorum verborū, quę à me audisti. Hęc Chryso. vel quicunq; fuerit eius operis author.

Istas & similes opiniōes vocassent patres veteris Ecclesiæ, nouitates vocū, verba nō sana, & adeò à viro fideli cauenda. Hos igitur duces & ante signatos sequimur, immo Catholicę Ecclesię per vniuersum orbē ab ipsis Apostolorū tēporib⁹ ad præsens vsq; cōmūnem sententiā sequimur, nā ex omnib⁹ omnino seculis ex omnibus orbis terræ cardinibus

bus

bus testes indubitate fidei protulimus, semp ab initio ita tenuisse fidē Catholicorū oīm, quos an tutius sequi sit, quā hos nouorū magmatū inuētores, ipsi viderint, qui hos magis sequi dignū duxerint, nobis certū est cū illis & viuere & sentire.

**CAP. X. COMPENDIO RECENS-  
SETUR & explicatur sentētia Cardinalis Caetani  
circa hoc argumentum, cum firmioribus  
eiusdem rationibus.**



**ARDINALIS** Caie Cardina. tanus in commentarijs Caeta. sancti Thomæ. 22. quę. 185. art. 5. cōtendit multis argumentis demon- strare, quòd obligatio episcopi ad continuā re sidentiam est ex præcepto iuris diuini. Argumenta eius magis firma & efficacia sunt ista.

Primū, episcopus de iure diuino tenetur ad curādas animas subditorum suorum, sed ad eam curam animarū exercendam, est necessaria continua residētia personalis episco porū: ergo eodē iure tenetur ad hāc, quoad illud. Quoniā qua lege præcipitur aliquis finis, præcipiuntur omnia necessaria ad comparandum



parandum illum finem.

Huius argumentationis secunda præmis-  
sa probatur: quoniam curam animarū exer-  
cere debet pastor spiritualis, custodiēdo gre-  
gem Dominicum, prædicādo, pascendo illū  
verbo legis, & exemplo vitæ, visitando & fa-  
cramenta dominica suis ouibus administrā-  
do, vt patet per Ezechielem. cap. 34. & per  
Paulum. i. ad Timo. 3. & ad Titum. 1. Sed ad  
custodiendum gregem Domini, ad pascen-  
dum eum verbo legis, exemplo vitæ, & admi-  
nistrazione sacramentorum, & ad continen-  
dum illum in obseruantia legis annua visita-  
tione, est simpliciter necessaria residētia per-  
sonalis, sine qua nulla ratione per absentem  
impleri possunt, & ad quę nullo modo, ante  
quā occurrerent, potuit præparari: ergo ne-  
cessē est, vt sit psonaliter præsens, si nolit de-  
esse officio suo, & ex consequenti ex iure di-  
uino obligatur ad perpetuam personalem  
residentiam.

Secundò, episcopus & quiuis aliis eccl-  
esiasticus pastor, ex iure diuino debet esse nō  
Dominus gregis sibi commissi, sed verus pa-  
stor: ergo eodem iure tenetur agere pastore,  
non Dominum, ac proinde per se pascere &  
attendere curæ ouium suarum. Assumptum  
illud probatur. Primò, ex verbis Christi ad  
Petrum.

Petrū. Pasce oves meas. Secundò, verbis Pau Ioan. 2 t.  
li. Sic nos existimet homo, vt ministros Chri 1. Cor. 4.  
sti & dispensatores. Tertiò, verbis Petri. Pas- Petri. 5.  
cite, qui in vobis est, gregem Dei, non domi-  
nantes in cleris. &c. Vbi vides in vniuersis ci-  
tatis testimonijs cōmendari & mandari mi-  
nisterium pastorale, negari verò imperiū &  
dominium seculare.

Tertiò, arguitur ex forma consecrationis Tertiu ar-  
pastoralis, in qua ordinando episcopo dici- gumentū.  
tur. Vade, & prædica euangeliū populo tibi  
commisso, obserua verba illa, vade, & prædi-  
ca, non dixit, mitte qui pascant, & qui prædi-  
cent, sed ipse vade, & prædica populo tibi cō  
missio. Vnde rectissimè cum alijs multis an-  
notauit Paulus scribens ad Titū & ad Timo  
theū, oportet episcopū doctorem esse. Heu q̄  
præposterū est, nomē, honorē, & diuitias epis-  
copi tenere in propria persona, officiū autē  
episcopi, in aliena: cū priora omnia sint illi  
concessa, tantū propter officium pastorale,  
iuxta illud. Datur beneficium propter offi-  
ciū. Illa verò libenter retineat, istud verò so-  
lūm abijciat. Hæc Cardina. Caieta. Quę pos-  
sent & hac ratione confirmari. Si hæc vera  
non sunt, quid sibi volunt verba Domini ad  
Ezechielē prophetā. Fili hoīs speculatorem Cap. 3. &  
dedi te domui Israel, & audies de ore meo ver 33.

I bum,



bum, & annunciabis eis ex me, si dicente me ad impium morte morieris, nō annunciaueris ei, ipse in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Qui potest speculari vitā ouium suarū si præsens non est, sed in aulis principum degat? Quomodo auditum verbum ab ore Domini, annunciabit domui Israelis? Quomodo gladiū venientem prædicturus est impijs, si præsens non sit? Sed quid ago? Quid frustra laboro? Nam absens ab Ecclesia, liberatus est ab hac cura. Paulus enim dicit. Non datur manifestatio spiritus, nisi ad utilitatem: cùm igitur absens, Ecclesiæ utilis non sit, non loquetur illi Dominus, nec audiet verbū ab ore eius, quod annunciet. Vis intelligere, quòd à pastore negligente curam sui gregis, fugiat Spiritus sanctus? Audi quod fecit Dñs cuim Mo se. Moses clamauit coram Domino, dicens. Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego cōcepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum? non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi. Hęc Moses. Tantum quia voluit fugere curam populi, quem regendū à Domino suscepérat, dixit illi Dominus. Auferā de spiritu

spū tuo, tradāq; septuaginta seniorib⁹, vt sustentent tecum onus populi: descenditq; dominus, & loquutus est ad Mosem, auferens de spiritu, qui erat in eo, & dans septuaginta viris. Si ergo in Mose diminutus est spiritus domini, tantum quia tentauit relinquere curam gregis sibi cōmissi. Ab eo, qui omnino deserit gregem Domini, cùm tamen mercedem non derelinquat pastoris, nōnne totus auferetur Spiritus Domini? auferetur vtiq;, & dabitur alteri, qui faciat fruct⁹ illius, & hic seru⁹ mittetur in tenebras exteriores. Visum est seorsim annotare sententiam Cardinalis Caietani: tum quia primus hac tempestate asseruit hāc veritatem, quā penè extinxerat, multorum prælatorū contraria consuetudo: tum quia nōnulli nūc cōtendunt infirmare illius argumenta: & palā audēt dicere, eis argumentis nō fuisse astruendas cōclusiones, quas nos in 2. cap. hui⁹ cōtrouersiæ posuim⁹, quas tamen ego arbitror certissimas, & vniuersos lectores idipsum iudicaturos, & ad eas probandas solas rationes confi. Caie. sufficerē, quanuis ob perfidiam huius temporis, & vt magis sepultam hanc veritatem ab inferis in lucem reuocaremus, non locupletius illas probauerimus, donet Christus vt vniuersas intelligamus, & credamus.

Gaxias

I 2 CAP.



CAP. XI. RATIONIBVS HVMA-  
nus manifestantur vera, quæ per fidé scriptura-  
rum & patrū Ecclesiæ doctrinā, docui-  
mus de residentia episcoporum.

Quartū  
genus ar-  
gumento  
rū ab hu-  
mana ra-  
tione.



**R**OFFECTO si velle-  
mus rationi obtempe-  
rare, nec extinguerem⁹  
igniculū illum nobis à  
superiori lumīe (quod  
illuminat omnem ho-  
minem) donatum, non  
erat cur in re clarissima digladiaremur. Dic  
mihi, o pastor ecclesiastice, quo iure petis sti-  
pendiū? qua ratione vietū & necessaria? Ni-  
mirū respōdebis, iure diuino. Præceptū erat  
enim, vt filijs Leui decimæ darētur, in quorū  
*Math. 23*. loco sacerdotes successim⁹, & Christ⁹ inerce-  
*Lucæ. 10.* de dignos sacerdotes pronūciat, & Paul⁹ ex ē  
*I. Cor. 9.* plo vobis præcipit, ne nobis os alligetur, &  
hoc in confesso est apud oēs, rectè quidē re-  
spōdes. Sed quero ego vicissim, an gratis vo-  
bis deberi ista dicāt sacræ scripture, & ob do-  
nationē purā, an potius sit aliquis contract⁹  
vltrō citroq; obligatori⁹ (vt vulgo dici solet)  
Nunquid, cū iubentur prēstari decimæ filijs  
*Num. 18.* Leui, nullæ operæ ab illis exigūtur? Imò ve-  
rò pro ministerio, quod faciebāt Dño in ta-  
bernaculo,

bernaculo, cùm ait Christus vos dignos mer-  
cede, nōnne appellauit vos operarios, etiam  
si mercedis nomen satis hoc declarabat, cùm  
Paulus vetat, ne vobis os alligetur exem-  
pli bouis? num adiecit triturantis? ergo  
cur vis contractum ex altera parte claudi-  
care? cur, si iure diuino tibi decimas debeo,  
non tu eodem iure teneberis inferuire taber-  
naculo? Cur non triturabis? cur non opera-  
beris eodem iure? quæ iniquitas est, vt popu-  
lum religione alliges ob tuū stipendiū, & tu  
religione sis solut⁹, si nolis militare? At dices  
militare volo, sed per vicariū, obsequiū præ-  
stabo in templo, sed per supposititiū. Volo  
triturare, sed per cōductiū. O Ingentē con-  
fidentiā, exclamandū enim erat tragicē. An  
non est electa industria tuæ personæ? An nos  
tantum stipendiū daremus tuo vicario, quā  
tibi? Si ille, quem nobis præficiis, dignus est  
episcopatu, cur tu illum sua mercede integra  
spolias, & salariū nescio quod præstas, vt tu  
residuū deuores ociosus? Si indignus es, cur  
nos fraudas tua præsentia, cùm nihilominus  
integrā soluamus mercedē? Dic mihi, si Tri-  
dentini medicū sibi cōduxissent, vt in ægri-  
tudinib⁹ illis subueniret, idq; magna merce-  
de, nūquid paterentur illū Mediolani agere,  
& Tridenti nescio quē alium relinquere? nū  
I 3 clamarent



## Cap. XI. De necess. residētia

clamarent omnes alium quærēdum esse me-  
dicum, & absenti nihil soluendum? Tu cùm  
medicum agas animarum, salarium iure di-  
uino corrades, & iure humano dices te tene-  
ri ad non residendum? Dic mihi, quis erit tā  
vecors pater familias, qui gregem suarū ouiū  
patiatur à proprio pastore deseriri, & à condu-  
ctio pasci, quē ille accersit data aliqua por-  
tionē iustæ mercedis, quam à patre familias  
accipit, vt reliquū mercedis deuoret, vbi reli-  
quo grege libeat occupari, ne dicam delitiari?  
An quod homines non omnino frugi suis in  
rebus non paterentur, feret pater cœlestis, q  
se bonum pastore, & bontim patrē familias  
vocat, & est? An tu si ministros habes qui ti-  
bi inferuant, quorum hic pecunijs præest,  
ille villis, hicalius mensæ, ferres vt hi omnes  
per vicarios tibi ministrarēt? quod tu in eis  
curandis, aut in condiendis cibis non ferres,  
postulas vt deus & homines ferant in re tan-  
ti momēti? An existimas satisfactū esse tuo  
ventri, si aliis pro te comedat, si aliis pro te  
bibat, si aliis pro te dormiat? non opinor.  
Qua fronte igitur audes permittere, vt aliis  
pro te labore, vt aliis pro te concionetur?  
quod sanè nō minūs, imo etiā multò magis  
necessariū est, ad legitimā eius officij admini-  
strationē, quod tibi usurpas, quā est vel ipse  
panis

panis ad vitā hoīm tuendā & cōseruādā. Sed  
scias quandoquidē vis nunc, vt aliis pro te  
doceat, vt aliis pro te labore, futurū quoq;  
omnino, vt Deus pro te, hæreditatem regni  
cœlestis cōsequatur quatieris sanè tu foras,  
nam qui laboris particeps non est, neq; glo-  
riæ se vnquā fore participē speret. Dic mihi  
obsecro. Num deterioris cōditionis est resp.  
Christianæ, quām sint aliæ humanæ & pro-  
phanae respuplicæ? In istis nondū intellectū  
est, vt permittatur rectoribus earum non re-  
sidere, inauditū est, quod absentes percipiāt  
salaria ab illis designata, & in illa Christiana  
spirituali à cœlo delapsa, & omnium ordina-  
tissima republica, debent esse istæ tam co-  
gnita & probata? Si hęc non permittūt pro-  
phana hoīm tribunalia (& id iure optimo)  
putas ne concessura diuina?

Deinde, considerasse oportuit, quot ab-  
surda proposita opinio in Ecclesiam Dei in-  
uexit. Primò, cùm persuasum est, quod epis-  
copo absenti licet detondere oues, & earum cōtraria  
lana & lacte potiri propter præsentē & re-  
sidentem Vicarium, hinc continuò emana-  
uit, quod vnus plures simul occuparet Ec-  
clesias, cùm æquè facile iudicauit, plures  
præsentes & residentes habere vicarios atq;  
vnū. Cùm tamen nihil absurdius, neq; magis  
I 4 pernicio-



perniciosum in Ecclesia fuerit (ab assumpto Christo) excogitatum, & nunc vix est alius abusus, qui magis vexet Ecclesiam Christi, quā iste de pluritate Ecclesiarū. Secūdō, hinc venerūt in Ecclesia dispēsationes ille, siue potestates percipiendi fructus in absentia, quo malo, quantum patiantur animæ fideliū & miserāda plebs, quā vidit & deplorauit Christus, veluti oues non habētes pastore, nemo est, qui non intelligat. Tertiō, hinc etiam cognouit Ecclesia episcopostitulares, quos necesse est institui ad ministeria episcopalia peragenda, vice absentiū episcoporum, quibus monstris quantū vexetur Ecclesia Christi, videntur & dolem<sup>9</sup> vniuersi. Isti mercenarij & factitij episcopi sunt, qui inuixerūt in Ecclesia infinitā multitudinē abusuū, quo circa vehemēter cupit Ecclesia catholica, eos aboleri, sicut iā olim fecit Damasus papa, & post illū tota vet<sup>9</sup> Ecclesia in corepiscopis. Quartō, & aliud absurdū deriuatū est ex opiniōe contraria, nēpe vt episcopi non pauci, simul ecclesiasticā & ciuilem administrationem Carthagi obirent, cùm tamen omnes veteres canones neñ. pri- tam seueriter vetent, ne quis functioni ecclē ma. & Sy sisticæ deputatus (minimè autē omniū epis no. Tribu copis) curā vllam rerum seculariū suscipiat. riensis. Item noua hæc opinio peperit prophana-

Synodus  
Carthagi  
neñ. pri-  
ma. & Sy  
no. Tribu  
riensis.

tionem

tionem istam diuinorum sacramentorum, quam passim videmus fieri in Ecclesia per conductos ministros, vt iam nihil penē in Ecclesia administretur sine precio, & quasi extinctam videamus iam legem illam quam ministris Euangelicis præscripsit Christus. Gratis accepistis, gratis date: & in administratione aliorum sacramentorum passim videntur abusus, & prophanationem præferunt eorum, quę per solos episcopos possunt administrari, vt sunt ordo & confirmatio, quorum abusuū causa est episcoporum à suis sedibus absentia: nam si episcopi residentes per se se administrarent sacramentum ordinis, promouerent necessarios, exploratos & idoneos ministros, & non grauaretur Ecclesia tam promiscua turba sacerdotum. Deinde si non abessent à suo grege pastores Ecclesiastici, vitarentur & alij abusus circa sacramentum confirmationis non infreuentur accidentes. Primo, quando contingit eos inuisere dioceses suas (cùm raro id fiat) vngunt sacro chrismate quotquot illis offeruntur etiam infantulos vix ab uberibus matrum ablactatos, quos oportebat prius edoceri in fide & religione quām professi sunt in baptismo, & illam explicatè coram proprio pastore confiteri. Secundō, euenit

I 5 non



Ezech.  
cap.34.

Cap. io.

Grego.  
papa.

non raro repetere hoc sacramentum & eosdem infantes bis aut ter vngi, quod tamē caueretur præsentia & cura pastorum ecclesiasticorum. Hæc omnia mala & absurdā nata sunt, & multo plura mōstra paritura est persuasio hęc de licita absentia pastorum. Cūm tamen secundum Deum nihil minus licere possit. Et, vt semel concludam, puto & omnia mala & peccata populi Christiani profluere ex ocio & absentia pastorū ecclesiasticorum, quod & dominus apertè per Ezechielem Prophetam significauit dicens. Dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, errauerunt greges mei in cunctis montibus. &c. Et quid est non esse pastorem, nisi abesse illos ab ouili Christi, neq; esse in Ecclesia qui pastorum officio fungantur? Hoc ipsum & per Hieremi. clamat è cœlo princeps pastorum. Quia stulte egerunt pastores & dominum non quæsierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est. Quæ omnia mala beatus Gregorius rectè interpretatus est pastori nescienti aut negligenti, ascribenda, dicens. Non admittitur pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nesciat. Quæ sententia pro regula iuris ecclesiastici nunc habe-

habetur. Itaq; ni suffocaremus rationem nobis inditam, dum affectibus obsequi discipimus, nemo est tam cœcus, quin videat, qui de residentia dubitant in sole meridiano lucem quærere.

CAP. XII. EXAMINATVR AN SINT  
aliqua, quæ possint excusare episcopum à  
perpetua residentia, & soluuntur  
rationes aduersariorum.



VBNASCITVR ex priori & altera controvèrsia, quæ sint, quæ possint excusare episcopum ab ordinaria & regulari residentia personali, quoniā necesse est esse aliqua quibus legitime interdū excusat̄ur absens ep̄s, nisi velimus centurias episcoporū damnare, deinde quid respondebimus ad rationes aduersariorū, quarum prima est.

Est infinita multitudo episcoporū quib⁹ primū argumentū iam pro lege est non residere, exceptis paucis qui per breue aliquod tempus interdum residere solent, & id, data aliqua occasione, regulariter autem satis putant fecisse, si idoneos Vicarios subrogauerint.

Secun-



**Secundum** Secundò, residentia non est necessaria nisi propter curandam animarum salutem. **argumen si.** Sed aliquando episcopus sufficienter & sufficientius gerit curam animarum per alium quām per se, ergo tunc non tenetur personaliter residere, etiam si nulla necessitas Ecclesiæ, vel propria cogat illum abesse ab Ecclesia sua. Nullo alio argumento (quod ego sciam) valent partem oppositam vtcunq; apparentem reddere. Sunt multa nunc in vita mortalium similia, quæ solus usus vel abusus fecit, vt ab aliquibus verterentur in dubium, cùm olim nunquam visa fuerint digna, vt de illis vel ambigeretur.

**Nihil est** Ad hanc subnatam controuersiam respō-  
**quod ex-** deo duo. Primum est, nihil est, meo iudicio,  
**cū se pēr-** quod possit excusare episcopum à regulari  
**petuā ab-** præsentia sua, & cura ouium suarum mihi  
**sentiā pa-** non indiligerent cōsideranti rem hanc, nun-  
**storis à** quam potuit occurrere aliquid quo episco-  
**greges suo** pus aliquis posset iuste excusari corām Deo  
ab ordinaria residētia. Dixi, corām deo: quo-  
niam corām hominibus multa sunt quæ eū  
reddunt excusatū, quoniam siquid esset,  
istud maximē fungi aliquo ministerio in cu-  
ria Summi Pontificis, exempli vice, esse illi  
à secretis, aut ab audiendis causis Cameræ  
Apostolicæ, vel Rotæ (quam vocant.) Sed

vt ve-

vt verè & piè annotauit Cardin. Caietanus, certum est huiuscmodi ministros non excusari, & abusum esse Ecclesiæ Catholicæ pernitiosum, assumi episcopos ad huiusmodi ministeria, & pastores spirituales in similibus occupari, cùm possint per non episcopos æquè benè exerceri, de quibus non minus verè quām sanctè dixit prædictus Cardin. Episcopi in istis & similibus ministerijs sunt in Ecclesia, quòd sunt monstra in natura. Quid obsecro magis monstrorum, quām episcopum & pastorem animarum esse iudicem causarum ciuilium, vel esse amanuensem vel à secretis pontifici? quæ monstra (proh dolor) videmus passim, & Ecclesiæ Christi perinde ac si viduæ essent, proprijs sponsis carere, & gregem dominicum sine pastore: quam rem perpendens rectè Innocentius sexto. Beneficia ecclesiastica non ni- **Factū In-**  
si probatissimis sacerdotibus, tum vita, tum **nocētii. 6**  
doctrina dare curauit, statimq; coronatus **circa præ-**  
omnes prælatos, & quotquot beneficia ha- **latos Ec-**  
bebant ab aula & curia sua abegit, & ad Ec- **clesiasti-**  
clesias suas sub anathematis poena abire co- **cos.**  
agit. Dicebat enim oues pascendas à proprio  
pastore, non à mercenario custodiri debere.  
Sed quid in re perspicua atq; manifesta mo-  
ramur? si esse Cardinalem in Ecclesia Ro-  
mana,



manæ, & assistere Romæ pro expediendis negocijs vniuersalis Ecclesiæ, hoc non excusat episcopum à residentia in Ecclesia sua, quanto minus excusabunt alia ministeria tantò inferioris gradus? Assumptum verò probatur ex antiquo iure canonico in cap. Bonæ memoriæ de postu. prælato. & in cap. Exegisti de cleri. non residentibus. Item ex Synodo Tridentina sessione. 6. decreto de residentia. In quo diffinitum est nullos episcopos quouis gradu vel dignitate fulgētes excusari à residentia personali in suis Ecclesijs,

*Synodus Tridenti* & scio hanc esse mentem Synodi, & sic expli-  
catam per plures patres in publicis congre-  
gationibus, nullos neq; Patriarchas nec Car-  
dinales excipi ab hoc canone, & nimirum  
cùm idem sit de iure. Si quis tamen obijciat  
in hac parte multorum contrariam consue-  
tudinem, dicemus cum Cardinale Caetano,  
quòd hæc abusio, non consuetudo dicen-  
da est.

*Inexcusa-* Hinc collige vnum aliud: quòd si hæc mi-  
bile episcopales ministeria quæ ecclesiastica sunt, & ad bo-  
copi, qui num vniuersalis Ecclesiæ pertinentia, non  
obeunt officia pro- faciunt excusatum episcopum absentem ab  
ficia pro- Ecclesia sua, multò minus excusabunt offi-  
phana. cia ciuilia, siue mundana alia munera, qui-  
bus funguntur non rari episcopi in curijs &  
aulis

aulis principum, quibus satis erat dixisse Apostolum Paulum. Nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Si ergo velint Christo placere, necesse est vt se explicet ab huiusmodi secularibus negocijs.

Secundum, dico quòd possunt occurrere *Quæ ex-*  
*aliqua*, & interdum etiam occurrunt, quæ *cusant tē-*  
*iustò excusant absentiam temporalem epis-* poralē ab  
copi ab Ecclesia sua, temporalem dico exem sentiā epis  
pli gratia, ad annum, ad biennium vel parū copi ab ec  
amplius vel minus. Primò, occurrit interdū clesia sua.  
persecutio temporalis, qua instante iustò po  
test abesse: hoc dico si sit persecutio perso  
næ, & non Ecclesiæ vel aliarum ouium sua  
rum, quoniam tunc tenetur bonus pastor  
ponere animam suam pro ouibus suis. Item  
quando præsentia episcopi non est necessa  
ria Ecclesiæ: nam si sit, negligēda est vita cor  
poralis pro salute ouium suarum. Extra hos  
casus imminente periculo persecutionis po  
test episcopus abesse ab ecclesia sua durante  
persecutione, vt Paulus missus est in sporta  
vt fugeret Damasci persecutionem Iudæo  
rum. Et Athanasius fugit ab Ecclesia sua in  
stante persecutione Constantij Imperatoris  
Arriani, quo tempore exularunt multi san  
cti episcopi ab Ecclesijs suis.

Secun-



Secundò, iusto etiam excusat episcopum aliqua eius ægritudo corporalis, si episcopus laborat morbo aliquo in Ecclesia sua, potest ad tempus abesse causa recuperandæ valetudinis amissæ.

Tertiò, si contingat celebrari concilium aliquod generale vel prouinciale, potest & debet abesse quandiu durat concilium, quoniam proprio fungitur munere, si intersit synodi alicuius celebrationi.

Quartò, si mittatur ipse Legatus ad Cœfarem vel Pontificem ad tractanda aliqua negotia, vel fidei vel Ecclesiæ suæ, vel alterius, vel ad componendam pacem inter principes aliquos fideles, vel si quid aliud rarū & peregrinum occurrat, quo casu etiam cum aliquo incommodo Ecclesiæ suæ potest & debet episcopus iuuare Remp. Christianam, & ad tempus abesse propriæ Ecclesiæ: nam sumus in uicem membra, & si patitur vnum membrum, necesse est compatiantur & reliqua, si gaudent & congaudeant & mutuas operas nobis tradamus.

Quintò, iustò excusaretur episcopus expresso aliquo mandato Episcopi Romani accersitus ad tempus aliquod breue, pro ministerio aliquo & bono Ecclesiæ vniuersalitatis, vel Reipub. Christianæ, sic tamen, ut expedito

dito ministerio redeat ad propriam Ecclesiæ, hoc casu arbitror excusari, quanuis si commodè posset suppleri per non episcopum, Pastor animarum nō erat separandus à suo grege. Et hæc meo quidem iudicio vocavit synodus Tridentina in sessio. 6. & 7. legitima impedimenta & causas iustas & rationabiles quibus excusari potest episcopus absens ab Ecclesia sua, vel si quid simile istis occurrat.

Reliquum est, satisfacere rationibus contrarijs. Ad primā, dico primò, & amplector argumentum sententiam Caietan. Cardin. quòd illa abuso, nō consuetudo dicenda est. Secundò, tantam multitudinem ministrorum dainnari si in prædicto abusu perseverent. Certè mihi Christiano, vehementer dolendum est, & veritatem dico (cùm Apostolo Paulo) testimonium mihi perhibente conscientia mea, quoniā tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem quorum est adoptio filiorum & gloria & testamentum.

Ad secundam, respondetur quòd debita personalia non possunt iustè per aliū suppleri. Talis est cura pastoralis. Deinde posse Ecclesiæ & quæ sufficienter gubernari per aliū, est de per accidens (quod vocant dialectici.)



lectici) quę autē per accidēs siue cōtingenter eueniunt, non excusant à vinculo præcepti, quoniam hæc non mutant naturas rerum.

**Tertiū argumentū.** na institutione factus sum episcopus, & Papa potest cùm causa priuare me hoc episcopatu, & transferre de hac Ecclesia in aliam, ergo non teneor ex iure diuino exercere hīc officium sacerdotale, ac proinde, nec residere. Hinc rursus colligunt, ergo poterit & mecum humana authoritas dispensare in residentia. Hac ratione inducti sunt aliqui, vt negarent residentiam esse de iure diuino. In genuè fateor, ego obstupui quando primò intellecti hac tam friuola & puerili ratione adduci aliquos viros alioqui doctos in tam nouam, fālsām & pernitiosam opinionem, eodem argumento probarent, ex iure diuino nos non teneri parere præpositis nostris. Primiò, quia humana institutione ego præfectus sum huic reipublicæ. Deinde humana etiam authoritas potest me remouere à magistratu, & eadem potest me transferre ab hoc magistratu ad alium. Et cùm his certum est, & extra controuersiam, obedientiam ex iure diuino exhibendam esse præpositis, & eodem iure deberi mihi quandiu sum in magistratu, & si contingat me remoueri,

ueri, deberi successori meo. Item eo argu-  
mento astrueretur furari tunicam meam nō  
esse contra ius naturæ, quia ex iure positi-  
uo hæc tunica est mea, & humana authori-  
tate possum illa priuari, quod illi responde-  
bunt ad hæc argumenta, nos dicemus ad su-  
um argumentum, illi autem velint nolint  
dicturi sunt, multa esse in Ecclesia similia,  
quorum institutio generalis facta est ex iu-  
re diuino, vel ex iure naturali, earum tamen  
determinatio particularis fieri debet per iu-  
ra humana, siue positiva, verbi gratia, obe-  
diendū esse præpositis siue prælatis est præ-  
ceptum à iure diuino, nō esse accipiendas res  
alienas, est præceptum à iure naturæ. Quòd  
autem ego sim prælatus huius reipublice vel  
illius. Item q̄ hæc tunica sit mea vel alterius,  
hæc faciunt humana iura. Ad hunc modum  
episcopos exercere per se officia sacerdotalia  
in suis Ecclesijs, ac proinde in eisdem reside-  
re est præceptum à iure diuino: quòd autem  
ego sim Episcopus Tridentinus, vel Vero-  
nen sis hoc faciunt humana iura quādiu fue-  
ro Tridentinus, tenebor iure diuino ibi resi-  
dere, si translatus fuero ad Ecclesiam Vero-  
nensem, tenebor in ea residere.

Ex predictis collige tu lector, q̄ si residere  
in Ecclesia à qua accipio cōmoda tēporalia,

K 2 man-



mandatum est à iure diuino, necesse est eodem iure prohiberi omnia, quæ necessariò impediunt personalem residentiam. Cuiusmodi sunt occupatio ministrorum spirituallium in officijs secularibus, & pluralitas Ecclesiarum, vel præbendarum ecclesiasticarū in diuersis Ecclesijs & si quæ sunt huiusmodi, sunt autē & alia multa quæ necessariò impediunt personalē residētiā episcoporū & aliorum ministrorum spirituallium in suis Ecclesijs.

FINIS CONTROVERSIAE  
DE RESIDENTIA.

ILLVSTRI AC REVERENDISSIMO IN CHRISTO Patri ac D. D. Francisco de Nuarra Episcopo Ecclesiæ Pacensis F. Bartholomēus Carranza de Miranda Christi gratiam & perpetuam in Domino fœlicitatem.



ENE HABET, Pater in Christo obseruandissime, quod nihil mali ex concilio hactenus subortus est, nec ex eius discessu. His enim tā calamitosis temporibus benē nobiscum actum putandum est. Si vel res suaptè natura optima in venenum non conuertantur, aut si dum vni mali mederi studemus non multò grauiora excitamus. Ut mali solent medici, qui si reduuimus curandis adhibeantur, aut hominem interimunt, aut pro reduuia ignem sacrum substituunt. Bene itaq; nobiscum actum est, immo verò præclare. Clamat posthac orbis, efflagitet medicam opem, queratur quantum potest, opprimi indignus modis, nunquam me authore ad huiusmodi medicos hac tempestate configuet. Ferat, dissimulet, ringatur potius quam marum sibi porrigi postulet. Quid ergo, inquies, an

K 3 tu me-



*tu medicos agrotis non necessarios putas? an Domini  
Christos ineptos curandis morbis arbitraris? nonne  
patres illi veteres huiusmodi diætis varias heres, multiplices abusus exterminarunt? nonne sic colenda  
est vinea Domini? nonne euellenda sunt zizania? Nonne  
sal putredinem rescindit? Nonne sol tenebras expelli-  
lit? An tu putas manum Domini abbreviatam? an co-  
lonos omnes occisos? an salem euanuisse? an solem ob-  
scuratum? Nimirum, ut verum fatear, Pater optimè, vr-  
ges, nec scio quid tibi tutò possum respondere. Illud ta-  
men certum habeo male valentes medicis indigere, &  
bonos esse medicos Christos Domini, nescio tamè qui  
fieri videam, ut nihil hac via proficiamus, fortasse non  
culpa remedii, sed magis huius temporis. Et quia po-  
tissimum alexipharmacum Christus Dominus noster  
præbere & debet & potest, visum mihi est adscribere  
huic opusculo orationem quam anno circumacto ad  
patres tui ordinis habui. Qua peto quā maximis pos-  
sum votis an hoc tempore Christus Iesus dignetur  
Israeli regnum restituere. Res ipsa clamitat nondum  
aduenisse tempus illud piis omnibus exceptatum. Reli-  
quum est, ut ad hanc postremam anchoram decurra-  
mus, & oremus Christum, ut matureret, nec nos  
sic velit punire, ut Cadmea pereamus vi-  
ctoria. Vale. Ex Tridento. II.*

*Calendas Maii. M. D.*

*X L V I I.*

# CONCIO. R. P. FRANCIS BARTHOLOMÆI Carranzæ de Miranda Hispani ordi- nis Prædicatorū, habita ad Syno- dum Tridentinæ prima Do- minica Quadragesimæ. Anni. M. D. X L V I.

*Domine si in tempore hoc restitus regnum  
Israeli? Act. Cap. I.*



ERBA hæc Re-  
uerēdissimi Patres,  
Apostolicæq; sedis  
vicarij, Pastores ob-  
seruādissimi doctif-  
simi q; viri, scribit  
Lucas in Actis Apo-  
stolicis, quæ recen-  
sui, ut essent orationis, quā apud vos habitu-  
rus sum, mihi fundamentū. Cùm mecum euol-  
uo præsentē reipublicæ Christianæ statum,  
euoluo autē sepissime, & insignē eius immu-  
tationē, in diuersa trahor. Nam, ut verum fa-  
tear, vix adduci possum, ut credā cùm res ho-  
minum intueor, facili alueo oīa processura.  
Rursum cū dei potentiam cum pari benigni-  
tate

K 4



tate coniunctam animaduerto, omnia mihi polliceor, ni vererer ne nostri mores adeò distorti obstante. Itaq; cùm me extricare non possum, ad Christum Iesum vnicum veritatis oraculum soleo configere & ab eo sciscitari, quibus verbis & in presentia vestra vsus sum. Et quanuis vos omnes intellexisse animaduerto vnde hēc verba deprōpta sint, non tamen grauabor, dummodo per vos licet, locum ipsum sacræ scripturæ indicare.

Ascensurus Christus ad superos, vnde venerat, invnum locum coegit discipulos suos. Illi igitur vbi conuenissent, percontabantur illum dicētes. Num in tempore hoc restituis regnum Israeli? Rogabant certè de terreno hoc & temporali regno, nondum immutati ex alto, & cōmuni Iudæorū cęcitate laborantes, huius mundi gloriam atq; aulæ splendorē, putabant esse regnum cœlorū, & Christum expectabant illius terrenæ Sion restauratorem futurum. Subegerant enim iam totam Palæstinam Romani, & iuxta oracula Prophetarum pro illis in Iudæa alienus ab Israele imperabat Herodes. Venerat iam redemptor orbis, & absoluto opere, quod demandarat illi pater, redibat. Sed cū nondū Israelitico regno restituto abiret, hoc ipum rogabat Apostoli, quod & alij duo discipuli venientes

nientes Emauntem, dixerant. Nos sperabamus quòd esset redempturus Israel.

Ingens aperitur campus loquendi, in quo modus mihi potius querendus est, ne & ipse retam multiplici obruar, & vos iniusta oratione fatigemini, quām verendum, ne arguimento destituar. Temperabo igitur mihi, ac vestri (quā par est) habebo rationem, & illud tantum ob oculos ponam, quām grauem iacturam Ecclesia fecerit, non solūm terrarum & nationum, quæ christiano nomine censebātur, verum etiam prisorum morum, quibus perditis, necesse fuit ad hoc deuenire calamitatis. Et erit, vt intelligo, bipartita hodierna oratio: vna parte, de imperio agam tēm *no oratio* porali, altera verò, de spirituali. Vtemur enī *nis*. hoc loquendi modo, & vtrumq; imperium vocabo, dum vniuersam Christianitatē, quā latè olim patebat bonis viuentem moribus, significare volo. Quo facto intelligetis, proculdubio me non sine magna causa subinde fluctuare, dum dubito, quo pacto possit Ecclesia in integrū restitui, ac non temerè Christum interrogare, an hoc tempore restituat regnum Israeli. Solus enim verū respondere potest, & facere. Quòd si qualibet in re nihil agere possum⁹ sine ope diuina, optimo quodam iure hodie summus ille artifex, mentiū

K 5 nostrarū



**Innuocatio spiritus sancti.** nostrarū illustrator inuocabitur , qui & extincta corda nostra accendat , & accensa suo igne inflammet. Veni creator spiritus, mentes tuorum visita. &c. Et sicut ex ordine sera phico mandaſti vnum, qui correpto calculo ex altari, emundauit labia Eſaiæ, lega ad me alterum, qui carbone, igne tuo accenso, adurat præcordia mea, depuret labia mea, & auferatur iniquitas mea, ne cū venero ante tribunal Christi , dicam . Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego suim. Spiritus alme, non peto Ciceronis verba, sed ea, quæ postulabat Paulus, cùm scribebat Ephesijs , vt detur mihi sermo in apertiōe oris mei, vt cū fiducia audeam loqui, quæ ad Dei gloriam, & edificationem Ecclesiæ oportet me loqui: & profectò si quando aliâs commodum fuit à Christo optimo maximo hoc querere, hac die commodissimè debet , vt in ipso , quod aiunt, temporis articulo. Refertur enim hodie, patres, in euāgelica lectione, & velut oculis subiicitur celeberrima illa monomachia, non alicuius ducis humani, sed Iefu Christi Dei nostri, nec cum vulgari hoste, sed cū exercitatiſſimo & iuratiſſimo in perniciem humani generis. Nunc etiam pro Ecclesia luctatur hoc cōcilio duce . Non ab re igitur queremus, an hostes sit superaturus, & in regnū restitutur<sup>9</sup>

restituturus Israelē. Ductus est (inquit Matthæus) Iesu in desertum à spiritu, vt tentetur à diabolo. Conueniebat autem Christum tentari, vt disceremus nos in tentationibus vincere , & vt haberemus pontificem per omnia tentatum, qui posset compati infirmitatibus nostris . Hoc euāgelium totius Ecclesiæ corpori accommodādum est, quoniam Christus quidem tentatus est, sed vitavit. Ecclesia autem adhuc tentatur, quia viatore Christo , & de morte & fathana acto iam triumpho , mox serpens ille antiquus, adgressus est cum Ecclesia facere, quod molitus est cū Imperatore nostro. Ideo semper vel impiorum, aut tyrannorū aperta pugna, vel hæreticorum occulta persecutione , ac tandem regno mundi tentata est, & nunc etiam tentatur. Quid autem olim egerit cum Christo , tam notū & explicatum est ex historia euangelica, vt superuacaneū videatur in praesentia vestra quicquā de eo dicere. Veniam ad ea , quæ assumpto Christo ad patrē Satanæ opera passa est , tam in temporali , quā spirituali regno , respublica Christiana, de quibus me primū dicturum, sum pollicitus, si hoc tantum admonuero. Per Israelē in diuinis scripturis nō infrequeſter populū fidelē designari. Is autē populus, partim temporaliter



poraliter militat, & regnat in terris, & partem suo rege Christo triūphat in cœlis. Potissimum autem gaudet principatu quodam spirituali, & diuino sibi peculiari, nam terrenum & temporalem principatum habet nō tantum Israel, hoc est, fidelis Deo populus, sed etiam Esau, & cæteri eius ordinis infideles populi, frui autem cœlesti & spirituali regno, soli Israeli concessum est.

*Prīa pars  
orationis  
de regno  
temporali  
Ecclesiæ.*

Profecto saluatore, & Imperatore nostro ad superos, Israel, hoc est, popul' fidelis, qui tunc ante missum Spiritum sanctum manebat in terris, angustis admodū terminis claudebatur, quippe qui totus in Hierosolymitano illo cœnaculo cōtinebatur, teste Luca, qui ait. Erant omnes vnanimiter perseverantes in oratione cum Maria matre Iesu. Erat autem turba hominum simul ferè cētum viginti. Post decem autem dics, hausto Spiritu sancto, mox dilatat' est populus Israel, & extendit tentoria sua per orbem vniuersum, dispersi discipuli, præcipue autem Apostolorum eximij, Petrus & Paulus, quorum alteri credita est Iudea, alteri verò gentium prouincia demandata, velut strennui quidam duces per omnes terras, mariaq; volitates ferè oēs gentes redegerūt sub iugum Christi, vt Paulus de se refert, scribēs Romanis. Ita vt à Hierusalem

rusalem per circuitum vsq; ad Illyricum repleuerim euangelium Christi. Tandem eius opera, & aliorum Apostolorum in omnem terrā exiuit vox euangeli, & ab oriente vsq; ad occidentem propagata est Ecclesia, ita vt breui temporis curriculo, in toto iam orbe regnaret Israel. O beata secula, quæ viderūt in Israelem sua gloria, sed non diu passus est sathan, vt tanta fœlicitate fruereimur. Ab eo die, quo victus est à Christo, cōtendit esse viator nobiscum, continuò suscitauit hæreticos, & incircicas gentes, quæ perpetua pugna, exercent Ecclesiam. At nūc, Patres, quis poterit sine magno animi dolore cōmemorare, in quas redacti sumus angustias? Amisimus totam Aegyptum, amisimus Ciliciam, Syriam, vtramq; Asiā, ad quas regiones vas electū diuinus Paulus portarat nomen Christianum. Satanæ opera iacet desolata Aphrica, vbi olim splendebant illa Christianæ religionis fulgētissima sydera, Tertullianus, Cyprianus, Augustin', & eius ordinis alij, & bona Europæ pars abiecta ac deserta iacet sine rege, sine lege, sine morib', sine ullo christianæ religionis consortio, vbi tot ciuitates, tot populi, tot Imperatores, tot reges & principes cultu veræ fidei, & morū splendore præstatissimi, vbi tot celeberrima Christi & san-

K 3 etorum



ctorum eius tēpla in crudelissimā iam Turcarum & Barbarorū ditionē deuenerunt, ita ut per tot annos nihil audiamus aliud, quām Israelis, & regni Christiani diminutionē, & excidia. In omnium memoria est Constantiopolis expugnatio, in qua Imperator Oriētis obtruncatus est: & quod reliquum nobis erat Orientalis roboris ac splendoris, amisisimus. Vbi sunt, Patres, Patriarchales illæ sedes, & Ecclesiæ Catholicæ arces munitissimæ? Antiochena, in qua primū Petrus: & post alios nunquam pro dignitate laudatus diuinus Ignatius, qui tot & tantos pro Christiana fide tulit labores? Alexandrina: in qua primū Marcus, post alios, acerrimus ille nostræ religionis propugnator Cyrillus, tandiu sedet? Hierosolymitana, in qua Iacobus frater Domini? Constantinopolitana, in qua tot sacerdissimi ac eruditissimi viri christiani regnarunt? Vbi sunt Ecclesiæ illæ Corinthiorum, Ephesiorum, Colossensium, Galatarum, ad quas tam sedulò scribebat Paulus? Vbi sunt illa duo splendidissima imperia, in quibus tam fœliciter regnabat Israel? Infœlix Græcia, quæ olim humanarū rerū arbitra, atq; omnium doctrinarū inuentrix, tam misere corruisti, vsq; adeò ab hinc ducētis annis pertinaciter castam, & sanctam Hiliarij

Iarij, Athanasij, Chrysostomi, Cyrilli, Epiphanij, Basilij, vtriusq; Gregorij, & aliorum sanctorum patrum doctrinam deseruit, vt ea deserta collapsa sit religio, qua collabete, ita tota cū imperio suo miserrimè interiit. Hæc omnia loca amitti, ac deuastari, & tandem in potestate infidelium esse, passi sunt principes Christiani, dum quæ sua sunt, querunt, non quæ Iesu Christi, dum quisq; simultatibus priuatis indulget. Carptim hæc attigi, patres, vt eorum memoriā refricarē, quæ viuentibus maioribus nostris accidere: quæ verò nostra ætate gesta sunt, neminem esse arbitror adeò supinū, qui non omnia habeat in numerato. Vidimus amissam nostra tēpestate celebrē illam insulam Rhodū, Italiam & Hispanię partes aliquot depopulatas. Vidimus occupatā Vngariam, & occisum pium Regem Ludovicum. Nobis videntibus, Mahumetus hic Turcarum princeps, & nostræ religionis hostis, Austriae bonā partē inuasit & dirupuit, & continuè christianorū cedes & lachrymę, clamant in cœlū, & sanguis fratrum nostrorum effusus ad Dominum, de terra vocifera- tur. Vindica Domine, vindica Domine sanguinem nostrū, qui effusus est. Quis christianus hæc audiens non perhorrescat? O saxeae christianorū pectora, si cū hæc intelligūt, nō cōmouentur,



commouentur, Domine, num in tēpore hoc  
restituis Israeli tot populos & tot regna ?  
Sed cūm de terreno ac temporali regno tecū  
agam, vereor ne mihi dixeris. Regnum meū  
non est de hoc mundo. Audio, sed video ne-  
scio quo nexu hæc duo inuicem colligari, &  
tam amicè coniurare, vt vix contingat alte-  
rum ab altero separari. Sed iam ad alterā no-  
stræ orationis partem transeamus.

*Secunda pars ora-  
tionis de regno spi-  
rituali Eccl. 21.  
Hierusalem, nouam, descendente de cœlo,  
à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro  
suo, & audiui vocem magnam de throno di-  
centem. Ecce tabernaculum Dei cum homi-  
nibus, & habitauit cum eis. Magnum & ad-  
mirabile est, quod hic Ioānes vidit, proinde,  
dum illud vult omnibus esse persuasum, ob-  
maiores rei fidem se ipsum nominat, dices.*


*Et ego Ioannes. &c. Iam ergo quid viderit, &  
quid sibi velint ab eo visa, diligenter inqui-  
ranus. Vidi, inquit, sanctam ciuitatem Hie-  
rusalem. &c. Quæcumq; hic auditis, ad impol-  
lutam Christi sponsam & Ecclesiam Israelis  
pertinent. Primo autem dicitur sancta, id est,*

uou

non prophana, nō iam carnalis, sed spiritua-  
lis à mundi spiritu seiūcta, & cōsecrata Deo:  
id enim designat sancta. Secundò, dicitur ci-  
uitas Dei, in qua Deus ipse regnat & agnus,  
ciuitas, inquā, spiritualis, diuinis gubernata  
legibus, non humanis. Eas enim non agnos-  
cit mundus, quas illi rex eius Christus præ-  
scripsit, cūm veluti pro tribunali federet in  
monte, dicēs. Ego autem dico vobis, non re-  
sistere malo: sed si quis te percuferit in dex-  
teram maxillam tuam, præbe illi & alteram,  
& ei qui vult tecum in iudicio contendere, &  
tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium:  
& volenti mutuare à te, ne auertaris: audistis  
quia dictum est, diliges amicū tuum, & odio  
habebis inimicum tuum: ego autem dico  
vobis, diligite inimicos vestros, benefacite  
his, qui oderunt vos, orate pro persequen-  
tibus & calumniantibus vos, vt sitis filij pa-  
tris vestri. &c. Has leges ignorat mundus &  
damnat, tantùm abest vt statuat, vel probet,  
has tamen venerantur & obseruant, qui vo-  
lunt esse incolæ huius regni: sunt autem om-  
nes fideles Dei & electi, quemadmodū Pau-  
lus scribit Ephesijs. Vos estis ciues sancto-  
rum, & domestici Dei. Tertiò, appellatur ci-  
uitas hæc, Hierusalem, nihil simile habens  
cum illa terrena, præterquam quòd eius no-  
men

Matth. 5.

L



men ipsi competit, & quòd illa corporea in nonnullis typum gessit huius spiritualis, vt pote in eo, quòd perpetuos hostes habuit, gentium populos, & tēplum Dei in ea fuit, sic nimirū & in Ecclesiā Dei, regnum Israe lis, insurgunt incircensisæ gentes, & verum templum Dei est in ea, in qua sola est fides, & verus Dei cultus: & ratio etiam nominis huic regno maximè congruit: vox hebræa visionem pacis, siue concordiæ significat, & vbi magis vera pax & concordia, quàm inter veros Ecclesiæ filios & hui<sup>o</sup> regni ciues? Iam supereft, vt quartum declaremus, nēpe, quid est, quòd hæc ciuitas dicitur noua? Primùm, obseruate omnia, quæ ad Christū pertinent, noua in scripturis appellari, vti Esaias de eo prædixit. Vocabitur tibi nomē nouum. &c. & Hieremias. Feriā domui Israel foedus nouum. &c. Et Ioan. ex Domino refert. Mandum nouum do vobis, & ita de alijs, noua, inquam, dicuntur omnia, propterea quòd hæc humana cum his, quæ dñi nostri Iesu Christi sunt collata, velut vetera, cōsumpta, debilia, & infirma sunt. Deinde illa noua sunt, quia à carnis & sanguinis communione sunt aliena. Itē dicitur ciuitas noua, quòd iuxta aliarum morem haud quaquam fit, illæ nimirū sunt lapideæ vno loco circumscripτæ, vno tempore

tempore conclusæ, plenæ etiam inter ciues dissidijs, criminibus, rapacitate, mendacijs, adulterijs, carnales per omnia. Ista verò nihil tale habet, quandoquidem est spiritualis, & vna nullo tempore conclusa, nullo certo loco, nulla ratione aut gente, nullo deniq; populo determinata, sed vna palmites suos in orbē vniuersum per tempora quælibet præterita, præsentia, & futura extendit. Et quæ à formatione Adæ primi hominis ad finem usq; seculi, eadē fuit, & est, & erit semper, sub vno capite conditore generis humani, & redemptore filio Dei. Illæ dissidijs plenæ, ista spiritus vniōne plena, charitate, pace, ac reliquis cœlestibus & spiritualibus charisimatis bus. In alijs regnis nulla gloria, nisi iuxta carnem & sanguinem, in regno Israe lis gloria quidem & immensa, sed non vana, nec caduca, sed vera, solida, & firma, in alijs regnis gloriantur ciues, sed de multitudine diuitiarum, de vana sanguinis nobilitate. Ci ues autem huius regni nihil tale. Ex quorū persona dicit magniloquus Paulus. Nos gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, non solū autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, & cætera. Illi nobilitate carnis, ad istos ci ues Ecclesiæ dicit Paul<sup>o</sup>. Videte fratres voca-

L 2 tionem



tionem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus. &c. Ignobilia & contemptibilia elegit Deus, vt non glorietur omnis caro in conspectu Dei. Illi in sapientia & scientia, at isti, hoc est, fideles, nihil minus. Ad quos scribit Paulus. Fratres, scriptum est: perdam sapientiam sapientū, & prudentiam prudentum reprobabo. Non ne stultam fecit Deus sapientiā huius mundi? Sunt quidem in hoc regno sapientes, nobiles, & potentes: sed multò aliter, nimisrum non iuxta carnem, sed iuxta legem Domini, nobiles, non iuxta sensus vanitatem, sed secundum iudicium Dei. Illi gloriantur in perpetuis, temporalibus, & caducis diuitijs: isti autem gloriantur magis, & gaudent de paupertate. Ad quos scribit Iacobus, dicens. Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligētibus se? Sunt quidē & hic diuites, sed alio modo, nempe verioribus & solidioribus diuitijs, quos nos pecuniosos & locupletes appellamus: illi diuites quidē vocāt, sed huius seculi, vt hac nota intelligas spuriās has esse diuitias, illas, proprias, legitimas, & germanas. Olim diu disceptatū est inter Principes & sa-

& sapiētes huius seculi, vbi nam sita esset humana fœlicitas. Quidam dixerunt sitam in diuitijs, alijs in voluptatibus putauerunt esse collocandā, alijs in potestate, alijs in honorib⁹ aut humana gloria arbitrati sunt esse ponendam: deniq; totus mundus consentienter clamabat, beatos esse diuites, fœlices potentes, & qui vitam præsentem transfigunt in voluptatibus & delitijs. At Christus Rex noster, qui nouū formabat regnū, vt faceret omnia noua, veluti damnans has voces, contrā ē sugestū, clamauit. Beati pauperes, quoniā ipsorum est regnū cœlorū. Beati qui lugēt, beati eritis cū vos oderint hoīes. &c. Et deplorādos esse iudicauit eos, quos mūdus beatificat. Vę vobis diuitib⁹, qui habetis hic consolationē vestrā. Vx vobis qui ridetis, quia lugebitis. Et Iacobus eius discipul⁹ ad eosdē. Agite nūc diuites, plorate v'lulantes in miserijs v̄ris, quę adueniāt vobis. Meritō igitur ciuitas hęc noua, & regnū nouum, in quo sunt oīa noua, & cui⁹ rex claimat: ecce venio, ecce facio oīa noua. Postremō dicitur, descendens de cœlo: de cœlo descēdere dicitur: quicqđ enī ad ipsam Ecclesiā attinet, descēdit de cœlo, oīa in hoc regno sunt cœlestia, omnia spiritualia & diuina, oīa de sursum ad eam veniūt, vnde benē & de sursum atq; etiā sursum esse dicitur

L 3 hęc



hęc sancta ciuitas. Apostol<sup>o</sup> Galathis scribēs.  
Illa autē, quę sursum est Hierusalē, libera est,  
quę est, mater nostra. Et quotquot ad eā per  
tinēt, sunt ex superis, alij verò ex infernis, illi  
cœlestes, isti verò terrestres: descendit ergo  
olim de cœlo, sed qua ratione? qua gloria?  
quo decore? A Deo parata. Maxim<sup>o</sup> est, qui  
parauit & adornauit eā, quantū ergo fuisse  
putatis illius apparatū? Nimirū non fuit vul  
garis, inanis, aut iuxta hoīs sensum, minor  
est oīs sermo, quā vt de his, p dignitate quis  
quā loqui valeat. (Sicut spōsam ornatā viro  
suo.) De q̄ apparatu in mysterio dixit Psal.  
Astigit Regina à dextris tuis in vestitu deau  
rato, circundata varietate. Figuratur quoq;  
ille idē apparatus, mirifica illa tēpli Dei & ta  
bernaculi (quod sub lege fuit) exornatione.  
Sed qua ratione à Deo parata est? Velut spō  
sa, quæ spōso suo traditur, vt in nuptijs fieri  
solet. Quòd Christ<sup>o</sup> sit spōsus, & Ecclesia spō  
sa, manifestè tradit Baptista. Qui habet spon  
sam, spōsus est. Hoc quoq; Salomonis Canti  
ca testātur, quæ nō dissimili apparatu ipsum  
spōsum proponūt nobis ornatū. Filię Hieru  
salē, venite & videte Regē Salomonis in dia  
demate, quo coronauit eum mater sua. Et ne  
quis ambigat, an ad Ecclesiā Christi hęc per  
tineat, subiūgit Ioannes. Et audiui vocē ma  
gnam

gnā à throno de ea dicētē. Ecce tabernaculū  
Dei cū hoīb<sup>9</sup>, siue tabernaculū dicas, siue Ec  
clesiā eam appelles, nihil interest. O foelix &  
btā Hierusalē, beati qui viderūt hāc nouitatē  
tuā. Sed soli illi viderūt & videbūt, qui fuerit  
spū Xpi renouati, o q̄ foelix, qui videbit te, eū  
repleber<sup>s</sup> ḡfia spōsi tui, & illi<sup>9</sup> impollutis, san  
ctis, diuinisq; amplexibus frui incipies. O q̄  
btūs q̄ vocabitur ad nuptias tuas, qñ. s. trade  
ris viro tuo, sed cui viro? nēpe agno, regi sum  
mo, Deiq; filio, ipsi gloria in secula. Amen.

Forsan tacitus cōsiderabit aliquis, quorsū *Tertia*  
hāc dicā. Audistis, Patres, quale Christus sta *pars ora*  
tuerit regnū suū, tale cum venerit, requiret à *tionis*.  
vobis. Audistis quibus ciuibus, quibus legi  
bus, quo apparatu constitutū fuerit regnum  
Israelis. Peregrè autē abeūte Rege suo, iuxta  
parabolā Euangelicā: vos, Patres, reliquit vi  
carios suos, vos Ep̄os dom<sup>o</sup> suę, vos specula  
tores, vos vigiles, vos doctores, vos custodes  
hui<sup>9</sup> ciuitatis, vos duces hui<sup>9</sup> militiæ, vos gu  
bernatores hui<sup>9</sup> regni, vos pastores hui<sup>9</sup> gre  
gis, vos patronos huius familiæ, vos sponsos  
huius Ecclesiæ, vestri muneris erat vigilasse  
super custodia huius ciuitatis, vestrū erat iu  
xta pr̄scriptas à Christo leges, regnū hoc  
gubernasse, vestrū erat facere, vt iuxta illas ir  
rephensibiliter viueret fidelis popul<sup>o</sup>, ad vos

L 4 perti-



pertinebat seruasse sponsam hāc Christi sanctam, impollutā, eisdē ornamentis ornatam, quibus Christus illā reliquit. Fingite nunc, Patres, redire Christum (redibit autem citō) & requirere sponsam suam, qualē vobis reliquit, quam, obsecro, illi restituetis? Num hāc ad hunc angulū orbis contractam? Num hāc prophana pōpa & apparatu seculari superbientē? Num hanc, quæ palatiorū magnificētia, etiā cum principibus decertat? Num hanc, omniū delitarum temporalium copia affluentem? Hæccine est ciuitas illa sancta à mundi spiritu seiuncta? Hæccine est ciuitas illa Dei, diuinis gubernata legib⁹? Ipsissima. Heu quantū ab illa mutata. Hæccine est ciuitas illa noua? Nūc vniuersa in ea cū ethnicis & barbaricis ciuitatib⁹ video cōmunia & antiqua: antiqua in ea regnat auaritia, vet⁹ dominatur ambitio, ad delicias & diuitias, aspirant & suspirāt in ea ciues vniuersi. Heu, heu Patres, quis hæc cogitare audeat? Hæccine est ciuitas illa, quæ descēdit de cœlo? Ciuitas illa pfecti decoris, & gaudiū vniuersi orbis? Hæccine est illa tota pulchra & decora? Nū, quid est, quo min⁹ possimus illā dicere totā deformē? De qua Esaias dixit. Omne caput languidū, & oē cor mōrēs, à plāta pedis vsq; ad verticē nō est in ea sanitas. Hæccine est illa Noemi,

Noemi, id est, formosa? Audite qd dicat. Ne vocetis me, Noemi, id est, pulchra, sed vocate me Mara, hoc est amara, quia amaritudine valde repleuistis me, egressa sum plena, & vacua reducitis me. Cur ergo vocatis me, Noemi, quam Dominus humilitauit & afflixit omnipotens? Vbi sunt ornamenta tua quibus parabarī spōso tuo tradenda? Vbi sunt monilia tua quibus ornabarī sponsa Christi? Vbi fides illa quæ etiam mortuos fuscitabat? Vbi charitas? Vbi contemptus ille vitæ & rerum præsentium? Vbi ardor ille mortis & rerum cœlestium? Vbi sitis illa videndi regnū Dei? Vbi amor ille paupertatis? Nunc omnes (vt olim dixit Hiere.) student auarietiae à minimo vsq; ad maximum, à Propheta vsq; ad sacerdotem, cuncti facimus dolum. Vbi olim regnabant castitas, & innocentia nunc regnant ambitio, luxuria, dominandi cupiditas, & vanitas. Heu, heu Patres, quis eā siccis oculis contemplabitur? Quis hæc consideret sine lachrymis? O ciues Hierusalem, o ciues huius regiæ & sanctæ ciuitatis, quis hæc intelligens non commoueatur? Quis si Christianus est, hæc audiens non perhorret? Quis non miserebitur matris suę? Et ego cum Hiere. precabor. O vtinam caput meū aqua, & oculus meus fons lachrymæ, & plo-

rabo interfectos filiæ populi mei. Tędet, pi-  
getq; Patres, fidem, pietatem religionem, no-  
stris tēporibus ita tepuisse, & penè dixerim  
contabuisse, vt vix earū vlla vestigia sint re-  
liqua, & feruorem in maiorum nostrorū ani-  
mis insitum tantopere deferuisse, vt cū Hie-  
re. dicere cogamur. Egressus est à filia Sion  
omnis decor eius, Principes eius facti sunt vt  
arietes nō inuenientes pascua, abierūt absq;  
fortitudine ante faciem subsequentis, vide-  
runt eam hostes & deriserunt sabbata eius.  
**Mores** verò & instituta maiorum nostrorū,  
pro lege tenenda, nunc spreta iacent, præua-  
ricatores diuinarum legum, ecclesiasticarum  
traditionum contemptores, impune cerui-  
cibus elatis incedunt, fides in bona nostri or-  
bis parte extincta est, in reliqua admodum  
exigua parte adeò languet, vt vix vera indi-  
cia appareant, charitas enim vbiq; friguit,  
abusus in dies magis crescunt, immo & abu-  
sus abusum inuocat, & animus abusibus &  
sceleribus astrictus non facile ab eis diuelli  
potest, huius tantę immutationis, huius tam  
immēsi lapsus à vobis Patres exigetur ratio  
cū sistemini ante maiestatē iudicis. Conside-  
re obsecro diuinā illā spōsam filij dei ad ge-  
nua vestrā prouolutā, nō ornamētorū suorū  
splendore fulgentē, sed lugubri indutā veste,  
totā

totā squalore confectā, lachrymisq; perfu-  
sam, ad vos patres clamare, obnixeque postu-  
lare, vt quę nostro vitio & neglectu vistro  
deformata est, iam tandem reforinetur. Totus  
orbis Christianus expectat Patres quid aga-  
tis, & fortasse eius generis sunt Ecclesię mor-  
bi, quorū curatio longiorē morā nō ferat, &  
tā lenta remedia admouere sit periculoseum.  
**Grauissima** consideratione pensate patres  
quid agatis, crastina morituri, crastina pari-  
turi ante maiestatē dei, & sistendi ante tribu-  
nal illud tremendū Saluatoris nostri Christi,  
in quo seuerissima horū omniū à vobis exi-  
getur ratio. De manu vestrā requirā hęc, di-  
cit dñs per Ezechie. Qui habet aures audiēdi  
audiat. Ponite in cordibus vestrīs verba hęc,  
dicam iterū. Sanguinē omniū pereuntiū de  
manu vestrā requirā, requirā inq dicit Dñs.  
**O** tremenda verba hęc, fulmina sunt nō ver-  
ba, & tamē ab ore Domini. Aperuit Dñs os  
asinæ vt moneret Balaam prophetā, potuit  
Dñs aperire os huius peccatoris vt cōmone-  
ret vos. Memētote eorū quę dixerim vobis,  
testis ero eorum quę hodie significaui vobis  
cū pariter venerimus ante dominū quando  
inutilis erit oīs conatus, & sera pœnitentia.

Sed quid ago, quid frustra cōsumor cum  
hominibus laborans contra id quod in prin-  
cipio



cipio præposueram? Ad te Saluator, mea se  
couverta oratio. Dñe num in tēpore hoc resti-  
tuis regnū Israeli? Num in hoc tempore sub  
sanctissimo Paulo. III. instauras Ecclesiam  
tuam? Num per præsentem senatum repara-  
bis regnū tuum? Audio quid dicas. Non est  
tuum nosce tempora vel articulos temporū,  
quos pater in suo ipsius constituit arbitrio.  
Ingenuè fateor, non est huius vermiculi, nō  
est huius peccatoris, secretum regis intelli-  
gere. Verùm illud non poteris prohibere,  
quin si non interrogando, saltem rogando  
interpellem clementiam tuam. Domine in-  
staura quæso, in diebus nostris regnū Israe-  
lis. Domine qui voluisti appellari omnium  
rerum innouator, innoua quæsumus Eccle-  
siam tuam. Restitue spiritum illum antiquū  
quē donasti patribus nostris. Domine susci-  
ta nobis saluatorem aliquem. Ne memineris  
iniquitatum nostrarū antiquarum, cito anti-  
cipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes  
facti sumus nimis. Aduua nos deus salutaris  
noster, & propter gloriam nominis tui libe-  
ra nos, & propiti⁹ esto peccatis nostris pro-  
pter nomen tuum. Domine quoniam Israel  
premebatur in Aegypto post quadringen-  
tos annos clamauit ad te & suscitasti Mosen  
qui pascebatur gregem saceri sui, & per eum li-  
bera-

berasti de durissima seruitute Pharaonis po-  
pulū fidelem. Collecto ad Patres suos Mose,  
suscitasti Iosue filiū Nun, qui pugnaret pro  
Israele: & nunc Domine ad te clamat fidelis  
populus, emitte Phinea aliquem qui zelo se  
opponat pro domo Domini, & cesset hoc  
flagellū. Domine octo annis laborauit Israel  
seruiens Regi Mesopotamiæ, & clamauit ad  
te, & suscitasti eis saluatorem Othoniel fra-  
trem Caleb minorem, quem repleuisti spiri-  
tu tuo & liberauit Israēlē. Domine dum Si-  
sara Chananeus per. xx. annos vehementer  
vexaret Israelem suscitasti Domine Deborā  
& Barach qui restituerunt Israeli suum re-  
gnum, & quieuit in pace per multos annos.  
Et nunc Domine à ducentis annis & supra  
premitur Ecclesia tua, quanvis non oppri-  
mitur, mitte quæso saluatorem aliquem, ces-  
set iam contemptus iste legum tuarū. Nun-  
quid non sunt adhuc completæ iniquitates  
nostræ? Domine cum humiliatus esset Israel  
in cōspectu Madian & opprimeretur ab eo  
septem annis, clamauit ad te, & exaudisti eū  
qui per Gedeonem liberasti eum de manu  
Madian & Amalech. Rursus cùm vexaretur  
ab Amon Rege, suscitasti illi Iepte, per quē  
liberasti Israelem ab Amonitis. Rursus per  
Sansonem liberasti eum à Palestinis, & per

Dauid




Dauid Regem liberasti ab oppressione Goliat, & per angelum ab exercitu Assyriorū fugato Sennacherib Rege, cū in summo discrimine obsideretur ciuitas Hierusalem. Et

*Oratio  
Danielis  
in Babylo  
ne quādo  
capiuus  
tenebatur  
Israel.* nunc te inuocamus, tuum imploramus numen, tuam oramus clementiam Christe servator, qui vicisti satanā in deserto, fer opem Ecclesiæ tuæ, oppugnatur domus tua, non expugnetur. Respice senatum hunc tuo nomine congregatum. Respice hos patres. Respice Principes nostros, ne spectes ad me, meiq; similes per quos funduntur preces. Non sum ego qui precor, per me infinita piorum multitudo, per me precatur Ecclesia tua. Obsecro te domine Deus magne & terribilis peccauimus in cœlum, & corā te iniquitatem fecimus, impie egimus, recessimus & declinauimus à mandatis tuis, ac iudicijs, tibi domine iustitia, nobis autem cōfusio facie. Inclina deus meus aurē tuā & audi, aperi oculos tuos, vide desolationē nostrā, & ciuitatē hanc super quam inuocatū est nomen tuū. Neq; enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciē tuā, sed in miserationibus tuis multis, exaudi domine, placare domine, attende & fac, ne moreris propter temetipsum Deus meus. Duxi.

F I N I S.





UNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA  
CREDOSSUSALES